


Borroni N. 676ᵃ — par Filippo Schiassi

Complet des 32 planches montrant des miroirs antiques

DE

PATERIS ANTIQVORVM

EX SCHEDIS

IACOBI TATII BIANCANI

SERMO

ET

EPISTOLÆ.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI DE FRANCESCHIS

A. MDCCCXIIII.

LECTORI.

Sunt haud pauca, Lector optime, quæ prius tibi, quam librum legas, significem tum de consilio, quod cœpi, harum et colligendarum, et edendarum rerum, tum de judicio, quod de universo Biancani opere, ejusque viri dignitate ferendum arbitrer. Quando vero exposita illa sunt epistolis duabus, alterâ ad Millinum, alterâ ad Vignaferrium datis, has ipsas epistolas tibi subjiciam statim; quid enim est, quod quæ scripta sunt, scribam rursus? præsertim cum epistola ad Vignaferrium alias quoque edita fuerit; epistola ad Millinum scripta sit, ut edatur. Illæ igitur epistolæ tibi ad legenda reliqua viam sternent; sunt autem hujusmodi.

Philippus Schiassius

Albino Aloisio Millino Eq. S. D.

En tibi, Milline præclarissime, epistolas illas, quas, ut coram aperui, jamdudum Prossalendio nostro scripseram, de pateris antiquorum. Monebunt te epistolæ ipsæ, quo fuerint consilio scriptæ: nempe non ut perfectum quid, absolutumque afferrent, sed ut Prossalendio, quod perficeret ipse, absolveretque, suppeditarent. Quod quidem præ oculis etiam atque etiam habeas velim, ne quod illæ nunquam sibi sumpserunt, ab iis postules. Mitto etiam tibi sermonem, quem jamdiu habui in Archigymnasio eadem de re, quemque divulgavi, inscripsique Vignaferrio amico meo. Intelliges autem cum ex sermone ipso, tum ex mea ad Vignaferrium epistola, quæ illi præposita est, quid de universo Biancani

opere judicandum putem. Nolim enimvero homini illi doctissimo, optimeque de studiis nostris merito quidpiam existimationis detrahi ex his, quæ ille sparsim adnotaverat, ipse congessi. Vtinam vero Biancanus opus confecisset suum; seu potius utinam tamdiu vixisset, ut Lanzii libris uti potuisset! At vide, quantum nobis mali ex morte obvenerit. Mors enim Prossalendium quoque sustulit, eum scilicet, qui de Biancani opere maxime fuerat sollicitus; ut non modo Corcyram patriam suam, et Sodales Ionios, quorum erat ab Actis, scriptis commendarit, sed nostram etiam gloriam quodammodo visus fuerit augere voluisse. Injecta mihi modo spes est de Francisco Inghiramio Præfecto Musei Volaterrani, qui, ut a Pompilio Pozzetto Bibliothecario Archigymnasii nostri cognovi, cum in universis Etruscorum monumentis, tum in pateris illustrandis totus est. Itaque cum illo isthæc, ut alia quædam, quæ apud me sunt, ad Etruscos spectantia (quod per Pozzettum optare se Inghiramius monuit) communicabo. Quod sane faciam perlibenter. Quid enim mihi jucundius fuerit, quam ut viro eruditissimo satisfaciam? Ex quo intelligere potes, quam libenter isthæc ipsa cupienti tibi mittam, tot nominibus claro, atque illustri viro. Quem quidem antea propter singularem doctrinam et fama pervagatam, et operibus proditam, magni faciebam, nunc autem propter summam humanitatem superioribus diebus, cum Bononiæ diversareris, coram perspectam, etiam amare cœpi. Cura, ut valeas.

Bononiæ idib. Septembrib. A. MDCCCXIII.

Philippus Schiassius
Caietano Vignaferrio Med. S. P. D.

Petis abs me, Vignaferri suavissime, tibi ut tradam sermonem illum, quem hoc anno in Archigymnasio habui, quum adolescentes nonnulli, egregii sane, et præstantes, jurisprudentiæ laurea donarentur. Sermo ille certe quidem ad te adeo pertinet, ut non tam meus, quam tuus esse videatur. In eo enim (quod exordio ipso non obscure significavi) et de opere retuli, quod socer tuus Biancanus meditabatur, et quidquid retuli, ex te accepi; vix quidquam, aut ne vix quidem adjunxi de meo. Curavi scilicet, ut quæcumque ille excogitavit, fidelissime narrarem. Neque vero ea dissimulavi, quæ idem ipse minus probavit: candide etiam, simpliciterque exposui, quæ ille, motus præsertim auctoritate Ioannis Baptistæ Passerii amici sui, cujus in his rebus habebatur judicium gravissimum, probavit tum quidem, nunc autem fortasse omnino repudiaret. Neque enim arbitror, si inchoatum opus absolvisset, omnia probaturum fuisse, quæ potissimum de paterarum usu conjectavit; ut universas putaret liquoribus in sacrificiis libandis usuvenisse: quod etsi de plurimis dici potest, de omnibus certe non potest; multas namque videmus pateras, etruscas præsertim, quæ planæ sunt, atque ita quidem, ut nihil omnino liquoris capere possint; cujusmodi illa est, quam in Cospiano Museo jamdiu asservatam, Cospianam appellare Bononienses consuevimus: nimirum hanc, non se-

cus atque alias complures, non liquoribus effundendis, sed aut molis salsis, cæterisque ejusmodi rebus offerendis destinatas dixeris, aut opercula vasorum fuisse, aut ornamenti genus quodpiam in pompis usurpatum putaveris; quod Lanzius quoque animadvertit. Qua de re non deerunt fortasse, qui partitionem illam paterarum improbent, quam Biancanus ex earum usu desumptam est amplexus. Eam quoque accusabunt alii nomine τῆς τῶν κώλων ἀνισότητος, *quod ejus quædam capita genera complectantur paterarum, quæ maxime abundant, alia vero earum, quæ paucissimæ sunt, aut vix ullæ. Erunt etiam fortasse, qui alias quoque accusationes non in eam modo partitionem, sed in opus quoque universum conjiciant; quas ego quidem omnes in eo sermone prætereundas censui, quod lucubrationem illam exponere, non reprehendere, immo etiam laudare consilium fuit: id quod cum res ipsa, tum et sermonis ratio, et occasio dicendi, et dignitas tanti viri, deque Museo nostro optime meriti ex me postulare videbantur. Quare nihil propemodum in eo leges, quod ex Biancani tui schedis, quarum mihi perhumaniter copiam fecisti, non deprompserim; ut fere jam non meum aliquid a me postules, dum illum sermonem postulas, sed potius tuum. Quem itaque jure tuo vindicas, ad te mitto; haud equidem invitus; misissem enim (quæ nostra est amicitia) etiamsi jure tuo non vindicasses. Vale, meque, uti facis, ama.*

Prid. Kal. Sextiles A. MDCCCVIII.

SERMO

HABITVS IN REGIO ARCHIGYMNASIO

BONONIENSI

XIII. Kal. Quintiles A. MDCCCVIII.

Antiquorum pateras alii alias ediderunt in vulgus, atque explicaverunt pro re nata; qui dedita opera egerit de omnibus, fuit quem sciam adhuc nemo. Quod quidem minime mireris; nam superioribus temporibus pateræ tam multæ non innotuerant, ut communem sibi tractationem vindicarent. Postquam vero studio, ac diligentia Archæophilorum in lucem prodierunt aliæ atque aliæ, ut jam ferme ducentas numerare possis, optandum sane fuit, optavit autem inter cæteros clarissimus vir Aloysius Lanzius (1), exsistere aliquem, qui universas colligeret, distribueretque; non modo ut omnia, quæ fusa in multorum libris, et dispersa jacent, sub uno aspectu ponerentur, verum etiam ut quæ aliis vel minus nota, vel prave animadversa fuerunt, et facilius patefierent, et commodius emendarentur. At vero idipsum cum Lanzius, multique desiderarent, pluribus abhinc annis Iacobus Tatius Biancanus anteverterat. Is enim inde ab eo tempore, quo in Bononiensi Instituto rerum antiquarum Museo præfectus est, in id monumentorum genus multum operæ, laborisque contulerat. Scilicet hominem ad eam curam, studiumque excitabat summorum virorum scriptis ce-

lebrata patera, quæ a Ferdinando Cospio Senatore jamdudum coempta, ad hæc usque tempora in eodem Museo asservata est; excitabant reliquæ omnes, quæ asservantur adhuc, quæque ut ejus scriptis celebrarentur, ab eo quasi petere videbantur. Quare in has primum commentari Biancanus: tum comparatis sibi ex amicis, quos et multos habuit, et pereruditos, paterarum imaginibus quascumque potuit nondum editis, de his quoque scribere: omnes autem delineandas, æriqué cudendas curavit. Ingenioso homini, atque has res diu multumque versanti non difficile fuit cum novi aliquid, quod cæteros fugerit, deprehendere, tum plura, in quibus alii erraverint, animadvertere. Itaque majus quidpiam molitus, quotquot antea vulgatæ essent, imagines paterarum inspicere diligentius, quam nemo fortasse fecerit, atque emendatius describere aggressus est. Et quando earum divisio excogitata erat adhuc nulla, ad eam quoque animum convertit: ut duo potissimum, quæ maxime optanda dixi, susceperit Biancanus, collectionem, inquam, et divisionem paterarum. Agedum, inquiet aliquis, e tanto molimine quid tandem exstitit? Ille quidem, ut multis accidit, sive occupationibus aliis distentus, sive morte præreptus, his de rebus nihil unquam pervulgavit; sed plura in schedis reliquit adnotata, digna sane quæ pervulgentur. Ego vero, siquidem humanitate Cajetani Vignaferrii, Biancani generi, mihi amicissimi, factum est, ut eas nactus schedas et pervolutarim sæpius, et majori qua potui diligentia in ordinem congesserim, constitui sin minus totum opus, quod vix inchoatum

est, certe non absolutum, in vulgus emittere, de eo saltem hodierna die ex hoc amplissimo loco verba facere, extremumque hunc Biancani laborem, abditum adhuc, et reconditum, quasi e tenebris in lucem devocare. Nemini autem injucundum fore speravi ea audire, quæ mihi jucundissimum sit referre non tam propter rerum præstantiam, atque amplitudinem, quam propter auctoris virtutem, et dignitatem. Tanta enim cum in omnem antiquitatis scientiam, tum potissimum in Museum nostrum Biancani merita exstiterunt, ut quæcumque ab illo prodierint, libenter excipi, ejusque vel nominis gratissima esse debeat, et plena voluptatis recordatio. Itaque alacri animo, quæ ille de pateris et diligenter collegit, et erudite disseruit, breviter exponam in hunc modum.

Quæ sibi occasio, quod consilium fuerit operis conscribendi, declaravit Biancanus primo loco; quibus de rebus satis, ut arbitror, modo dixi. Perquisivit deinde originem, et antiquitatem paterarum: atque illam quidem a liquoribus in sacrificio libandis duci oportere; hanc tantam fuisse ait, quanta ipsa fuit ejus sacrificandi ritus antiquitas. Hîc Biancanus, ut homo erat apprime eruditus, atque in latinorum, græcorumque scriptorum diuturna lectione versatus, vetustissimos populos animo, et cogitatione percurrit. Ad Hebræos primum se convertit, in quorum religionem, cæremoniasque libatio vini, olei, sanguinis cum inducta fuerit (2), tum vascula ad eadem excipienda accommodata (3), atque adeo pateræ in eorum libris describuntur. Ab Ægyptiis usurpatas

pateras non modo oculis, inquit ille, prope cernas in schematibus Mensæ Isiacæ, sed etiam intelligas ex Plinio (4), et Solino (5) monentibus, Memphiticos solemni die, quem Apis natalem habuerunt, pateram in Nilum projicere consuevisse. Æthiopas sacra facientes aquam e patera effudisse scripsit Heliodorus (6). Suas etiam Persis fuisse pateras (*condy* appellaverunt) Athenæus (7) memoriæ prodidit; tradiditque Herodotus (8) Xerxem, priusquam in Græciam trajiceret, cum vinum libavisset Soli, pateram in Hellespontum abjecisse. Hos memoravit antiquissimos populos Biancanus, ex quibus non tam rituum prope omnium, quam sacrorum instrumentorum rationem in Græcos, Etruscos, Romanos derivatam affirmavit.

Hæc vero ille de antiquitate, atque origine paterarum cum docuerit, earum formam descripturus, eo quod pateant, latine ita dictas Varrone teste (9) monuit; rotundas autem esse omnes: romanas plerasque manubrio nullo donatas; contra etruscas, quarum Biancanus vidit nullam carentem manubrio: manubria vero ut plurimum in caput vel draconis, vel canis, vel arietis desinere, sive id artificum arbitrio, sive potius religione aliqua factum putes, quod pateat earum rerum imagines ex veterum disciplina symbola fuisse aut Apollinis, aut Bacchi, aut Larum, aut Numinum aliorum. At sunt etiam pateræ, quæ etsi affabre sculptæ, manubria tamen habent rudia, clavorum instar; quin immo breviora, quam ut manibus prehendi commode possint. Ea nimirum, ut conjecit Biancanus, vel

eboreo, vel æreo, vel argenteo capulo elegantius elaborato aptanda erant.

Iam quæ paterarum materies fuerit, declarari oportebat; quam quidem pro variis cum temporibus, tum fortunis populorum variam fuisse, ex antiquis scriptoribus facile licet colligere. Homerus (10), Thucydides (11), Diodorus Siculus (12), Plinius (13), Solinus (14), Statius (15) aureas, argenteasque pateras usui fuisse Ægyptiis, Græcisque prodiderunt. Retulerunt Dionysius Halicarnassensis (16), Plinius (17), Iuvenalis (18), Apulejus (19) a Romanis fictiles primum adhibitas, crystallinas deinde, et myrrhinas. Argenteas Fabricius permisit summis ducibus Plinio teste (20); aureas teste Livio (21) Pæstanorum legati Romam attulerunt. Gemmeas, gemmatasque cum memorant Virgilius (22), Sidonius Apollinaris (23), aliique, tum monumenta a Maffejo (24), et Muratorio (25) explicata ostendunt. Etruscorum præterea, Græcorumque vasa fictilia pictas oculis subjiciunt pateras exstantibus vel margaritis, vel lapillis ornatas. At pleræque omnes ex cupro fuerunt; quæ cum vel ab infimæ fortunæ hominibus potuerint comparari, ingenti profecto numero sunt fabrefactæ, ut mirum esse non debeat, earum satis magnam copiam ad nostra hæc tempora pervenisse.

Permultis vero pateris insculptæ sunt Deorum imagines; eorum quoque nomina aliquibus inscripta. Cujus utriusque rei exemplum Archæophilis præbuit omnium prima Cospiana patera; præbuerunt deinde cæteræ a Dempstero (26),

Gorio (27), multisque editæ in lucem. In nonnullis etiam videas imagines, et nomina Heroum, quippe qui magnam cum Diis conjunctionem, atque, ut Biancanus ait, affinitatem habuerunt. Dedicationem ea re significari existimavit Biancanus, ita quidem ut quæ patera in sacrificiis unius Numinis adhiberetur, eadem minime adhiberetur in sacrificiis Numinum reliquorum. Id quod ille Homeri (28) testimonio confirmavit pateram commemorantis, qua Achilles Deorum nemini, nisi Iovi, libare consueverat. Quo sane testimonio permotus Ioannes Baptista Passerius (29) ejusmodi paterarum dedicationem jampridem Archæophilos admonuerat. Censuit tamen Biancanus id quidem usuvenisse, cum sacrificia peragerentur solemniora sive ab Imperatoribus, sive a locupletibus viris, quibus magnus paterarum numerus suppeteret; at vero cum privati homines, iique non admodum divites sive domi, sive in agris, sive in lucis sacra facerent, quis crediderit tot iis præsto fuisse pateras, quot Numina colerentur? Id unum statuit Biancanus, pateras cælestium, quos appellant, Deorum in funerum sacrificiis nunquam fuisse usurpatas: longe enim alia erat, quod nemo ignorat, religio Deorum superum, atque inferorum. Hæc ille, at multo fusius de paterarum antiquitate, atque origine, tum de earum forma, et materie, dedicatione etiam, usuque explanavit.

Sed cum magnam sibi ob oculos paterarum copiam, varietatemque obversari videret, probe autem intelligeret nihil esse pulcrius in rebus omnibus, ut ait Tullius (30),

dispositione, atque ordine, necesse sibi fore judicavit, ut antequam singulas describeret, illustraretque, suo quamque loco attribueret; quod ante illum nemo unus præstiterat. A plerisque enim ut pateræ quælibet ad manus veniebant, sic aliæ post alias congerebantur nullo discrimine: immo fuerunt etiam, qui non solum accommodatis locis nullam consignarent, sed ne a cæteris quidem monumentorum generibus sejungerent; ut sæpe in suis libris pateras et statuis, et sarcophagis, et vasis, et inscriptionibus, et quibusvis aliis antiquitatis reliquiis interseruerint, forte ex rerum varietate voluptatem quamdam aucupaturi; naturam credo imitati, quæ arbores, quadrupedia, volucres, omne genus animalia non in unum ordinatim, distributeque collegit, sed confuse, et permixte per innumerabiles regiones dispersit, multitudinem præseferens, varietatemque maxima cum delectatione conjunctam. At vero quemadmodum qui naturæ historiam persequuntur, facere solent, ut quæ ipsa per omnia terrarum loca diffudit, eadem illi animo complexi in ordinem adducant, sic Biancanus in id maxime incubuit, ut pateras universas in certa capita digereret. Quæ quidem res plus fortasse, quam credi potest, difficultatis habet, et laboris. Neque enim unam, aut alteram partiendi rationem, sed plures eum exquisivisse, versasse omnes, non omnes probasse necesse fuit. At credo equidem futuros, qui cum imagines sive Deorum, sive Heroum multas, et varias pateris insculptas videant, ex iis statim divisionem paterarum hauriri posse fortasse putent, ut quæ

Iovis, Iunonis, Minervæ, Martis, Apollinis, reliquorum Deorum, quos majorum gentium appellant, imagines repræsentant, antea distribuantur; tum quæ referunt imagines cæterorum, quos appellant minorum gentium, postea marinorum, fluviatilium etiam, si qui sunt; Heroum ad extremum, hominumque clarissimorum, Persei, Meleagri, Herculis, Agamemnonis, Menelai, Paridis, Helenæ, aliorumque, quos Græcorum sive mythologia, sive historia suppeditat: quam sane dividendi rationem sequuti præsertim sunt, qui simulacra sive in Museis disponenda, sive in libris illustranda susceperunt. Hanc tamen Biancanus ex eo forte rejecit, quod pateræ non unum plerumque, ut statuæ, sed duos, tres, plures etiam cum Deos, tum Heroas consociatos exhibeant, quorum numerus, et conjunctio eam dividendi rationem recusant. Alii forte varium in variis pateris scalpturæ modum spectantes, primo loco eas ponendas censebunt, quæ rudiori scalpro, deinde quæ minus rudi, ad extremum quæ elegantiori sunt exaratæ. Verum ut ut partitio isthæc placere artificibus, et cultoribus bonarum artium possit, placere tamen Archæophilis non potest, qui in monumentis contemplandis, magis quam artificium, eorum argumentum, atque usum considerant. Hæc itaque duo præ cæteris potissima cum esset arbitratus Biancanus, ex iis paterarum divisionem sibi ducendam judicavit, quam ad hunc fere modum proposuit.

Partitus primum est generatim pateras in publicas, privatasque. Publicas appellavit, quibus sacerdotes in sacrificiis

publicis uterentur; privatas, quibus quilibet uteretur in sacrificiis privatis. Publicas rursus divisit in partes quatuor, quarum prima pateras triumphales, altera circenses, tertia nauticas, quarta demum bacchicas complectatur. In partes item quatuor privatas distribuit, quarum prima constet ex natalitiis, altera ex nuptialibus, tertia ex convivalibus, quarta ex funebribus, seu sepulcralibus. His ultimum adjecit genus earum, quas pateras puras, seu patellas vocavit. Quo loco animadvertit fieri posse, ut pateræ emergant in posterum, quibus nova capita tribuenda sint: hæc interim constituit ex iis pateris, quæ hactenus innotuerunt. Illud quoque fassus est, privatarum plures in publicum etiam fortasse usum, quemadmodum et publicarum aliquas in usum privatum, interdum fuisse adhibitas. At sequutus quod plerumque usuveniebat, eam quam dixi partitionem adamavit, quæ sibi præterea de omnibus pateris tractaturo percommoda contingebat. Tum de singulis, quæ indicavi, paterarum generibus haud pauca singillatim exposuit. Multa namque legendo, observandoque compererat, quæ ad unumquodque genus pertineant. Perspectum enim tum ex scriptorum consensione, tum ex numismatum imaginibus, tum præsertim ex arcuum triumphalium anaglyphis habebat, Imperatores, dum parta victoria gratias Diis acturi sacra facerent, pateris fuisse usos, quas propterea triumphales appellavit. Noverat in ludis circensibus et Neptuno, et Marti, et Deorum plurimis facta fuisse sacrificia, in quibus pateras usuvenisse necesse est, circenses ea de caussa nominandas. A navigantibus item

pateras, quas vocari nauticas placuit, adhibitas in sacrificiis tum in littore, tum medio mari peractis, cognoverat ex Herodoto (31), Iustino (32), Pindaro (33), Virgilio (34), Valerio Flacco (35). Meminerat, ut Bacchi religio apud Etruscos orta, ut ad Romanos propagata, quibus cæremoniis, ritibusque apud utrosque exculta; in quibus fuere certe quidem pateræ, bacchicæ nimirum, usurpatæ. Facile autem sibi fore putavit vel ex Victoriæ imagine, ornamentisque triumphalibus, vel ex equorum cursu, vel ex Castore, et Polluce, cæterisque Numinibus navigationis præsidibus, vel ex Baccho, et Satyris, et Nymphis, quippe Bacchi seu ministris, seu comitibus, ad suum unamquamque caput referre, aliasque propterea in triumphales, alias in circenses, alias in nauticas, alias demum in bacchicas conjicere. Hæc autem cum de pateris publicis exposuisset, ad privatas veniens, natalitias nominavit Biancanus pateras, quæ tum adhiberentur, cum puerorum natales dies celebrarentur; nam et Iovi Genethlio, et Iunoni Lucinæ, et Natali Genio sacra fieri consuevisse prodiderunt inter cæteros Tibullus (36), Catullus (37), Horatius (38). In ejus propterea generis pateris et Minervæ, et Bacchi, et Herculis, et Apollinis, et Dianæ ortus, aliaque hujusmodi conspiciebat. Conspiciebat vero in alia Thetidem a Peleo raptam; in alia e cælo ad Endymionem delapsam, cum eoque colloquentem Dianam; in aliis marem, et fœminam vel sibi invicem blandientes Genio nuptiales coronas apparante, vel ad craterem lavandi caussa stantes forte nuptias inituros. In nuptiis autem sacri-

ficatum constat; nam neque uxor a veteribus sine sacrificiis, ut monet Servius (39), duci poterat, et Iunoni præsertim, cui

vincla jugalia curæ,

ut cecinit Virgilius (40), mos erat litari, litari etiam Iovi; quem hac de caussa Gamelium Græci vocaverunt (41). Quare nuptiales eas pateras vocavit Biancanus, quæ in iis sacrificiis usurparentur. Convivales appellavit quoque domesticas. Commemoravit autem sua singulis domibus fuisse Lararia: ne tabernis quidem Lares tenues, ut eos vocat Propertius (42), defuisse: domestica sacrificia potissimum in conviviis celebrata esse. Rem omnem luculentissimis Iusti Lipsii (43) verbis illustravit, qui libationem a veteribus tum Græcis, tum Romanis in omni convivio religiose servatam docuit ex Homero, Plauto, Virgilio, Dione Cassio. Occurrunt proinde pateræ complures et Deos domesticos, et imagines alias exhibentes, quas facile ad convivia referre possis. Denique pateras funebres explanavit: funebres autem vocavit non eas modo, in quibus insculpti cernuntur Dii inferi, sed eas etiam, quæ cædes repræsentant. Mortuorum animas sanguinis sitientes Homerus (44) describit: lacte etiam, et vino expiandas monet Virgilius (45), in eumque Servius. Hæc itaque in funerum sacrificiis vulgo libabant; libabant autem profecto non sine pateris. Patellis demum utebantur, cum libationes familiares cœnaturi faciebant: qua de re Nonius (46) meminit inter cæteros. Sunt vero patellarum disco non imagines Deorum, Heroumque,

aut quævis aliæ, sed circilli insculpti, quibus aliquando mæandri, flosculique, atque alia ejusmodi ornamenta interseruntur.

Atque ista quidem generatim de pateris censuit Biancanus in commentarium ante conferenda, quam singulas explicare aggrederetur. Subjecit porro collectionem, sive ut ille eam græco nomine appellavit, syllogen paterarum. Equidem Biancani schedas pervolvens de pateris nonnullis frustra quæsivi, sive quod schedæ perierint, in quibus de illis scripserat, sive quod de illis scribere in aliud tempus distulerit. Plerasque tamen in hunc diem vulgatas et accurate descripsit, et docte illustravit: illas vero descripsit, illustravitque majori studio, quæ nondum vulgatæ erant. Addidit ad extremum observationes in fragmenta complura partim fictilium paterarum, partim aliarum rerum, quarum imaginibus librum suum erat ornaturus.

At nimius fuerim, si vel de his fragmentis, nedum de pateris quibuscumque, et quid repræsentent, et quo quæque modo a Biancano explicentur, velim commemorare. In singulis quidem quantum Biancani studium fuerit, apparet, quantaque sibi omnis antiquitatis comparata cognitio. Hominis profecto sum admiratus diligentiam incredibilem, maximam veterum scriptorum notitiam, acrem judicandi, conjectandique vim. Id vero etiam sum admiratus magis, quod cum ille eruditissimus certe fuerit, parsimonia tamen quadam in scribendo usus sit, quæ in eruditis rarissima esse solet. Hi enim cum doctrina maxime abun-

dent, contineri vix possunt, quin omnem effundant quaquaversum, feranturque quocumque abripit rerum copia, veluti amnis, qui exundantibus aquis extra ripas profluens campos late vastos passim occupat, atque obruit. Biancanus non item; in quo cum nihil deesse, tum vero etiam nihil redundare facile quisque animadverterit. Latini quoque in eo sermonis nitorem laudavit Franciscus Maria Zanottus, quocum ille multas ex suis schedis communicaverat. Vniversi autem operis et consilium, et rationem etiam atque etiam probavit is, cujus maxima fuit in hoc studiorum genere auctoritas, Ioannes Baptista Passerius, ejusque perficiendi, vulgandique hortator sæpe Biancano, suasorque fuerat, nihil dubitans; quin cum liber ille et imaginibus plurimis ornatissimus foret, et doctrinæ, elegantiæque plenissimus, omnium laudes esset consequuturus. Vtinam vero Biancano tantum vel otii superfuisset, vel potius vitæ, ut præstantissimi illius viri consilio, voluntatique obsequutus, quæ præclare inœperat, ad exitum adducere potuisset. Ille quidem, ut conjicere facile potui, secundarum curarum studium ex animo nunquam abjecit. Occurrerunt enim mihi ex ejus schedis non paucæ, quas, paullo ante quam vita decederet, exaraverat; occurrerunt etiam nonnullæ, quæ ejus rogatu ab amicis recens conscriptæ fuerant; neque enim erubescebat doctus ipse a doctis viris et judicia quærere, et opem, auxiliumque in studiis suis expetere. Ex iis autem unum maxime Biancano profuisse deprehendi (nam ejus manum probe novi) cui multum idem ipse me debere pro-

fiteor; qui cum in omni eruditione paucos habeat pares, in litterarum græcarum scientia superiorem certe habet neminem; qui vivit, floretque adhuc, cuique ut quam diutissime floreat, cum propter singularem ejus doctrinam, tum propter incredibilem morum suavitatem, maximamque in adolescentibus edocendis solertiam, auguramur omnes, vehementerque ab immortali Deo deprecamur; cujus denique modestia haud sane prohibebor, quin vel præsentem, et abnuentem nominem; quis enim, vel me nunc tacente, Emmanuelem A Ponte non impotenti quadam admurmuratione nominet, laudet, extollat? quem Biancanus ipse, si viveret, ipseque loqueretur, beneficii memor, gratique animi caussa, idem ipse, inquam, Biancanus nominaret. At eximii hujus viri opera cum ille frui cœpisset, morte exstinctus subita est; quod non sine maximo animi mœrore possumus recordari. Cum enim dolendum magnopere fuit, inchoatum de pateris opus ab eo perfici non potuisse, tum dici vix potest, quantum hominem et studiosa juventus, et antiquitatis scientia, et Museum Bononiense amiserint. Ille enim numismata sive græca, sive latina et collegerat magno numero, et apto ordine disposuerat, et mira eruditione explicabat: ille antiquas inscriptiones omnes, quotquot in hac urbe exstant, describendas, doctisque animadversionibus illustrandas susceperat: ille statuas, ille anaglyphia, ille gemmas, ille vasa, ille bonarum quarumcumque artium opera et æstimare ipse per se, et cæteris declarare dicendo, scribendoque instituerat: ille Museum nostrum, cui præerat,

cum quovis veterum monumentorum genere, tum loci, rerumque omnium opportunitate augendum, locupletandumque curaverat. Mitto ejus in naturæ historia doctrinam, quod ea ad antiquitatis studium minime necessaria videatur; perutilem tamen esse negabit nemo. Illud vero minime præterire debeo, quod ad nos maxime pertinet, quodque satis verbis significare nunquam potero: si in hoc præclarissimo doctrinarum, artiumque omnium domicilio cum disciplinæ reliquæ anteactis temporibus explicarentur, antiquitatis studium haud omissum est, si numismata, si lapides, si alia prope innumerabilia ad veterum memoriam spectantia publice sunt declarata, si hæc inter nos studia floruerunt, si adolescentes quamplurimi, si viri doctissimi, si Cajetanus ipse Marinius in hanc scientiam incubuit, eique tantum splendoris attulit, quantum norunt omnes, quandoquidem isti vel eum habuerunt studiorum suorum auctorem, vel ex ejus disciplina prodierunt, has tantas, tamque præclaras utilitates, hæc, inquam, omnia Biancano accepta referri necesse est. Quis enim ante Biancanum antiquitatis scientiam publice tradiderat? Quis autem, ut traderetur, effecit præter Biancanum? Ille ad Senatum accessit, rem proposuit, amplissimum decretum reportavit. Memini, quo die omnium ille primus de antiquitatis studio orationem in his ædibus habuit, cum et Senatores Instituto præfecti, et cuncti cæterarum disciplinarum Doctores, et auditores frequentissimi adessent, postquam et summa argumentorum vi, et admirabili quadam doctrinæ præstantia, dicendique copia ostendisset, quan-

tum populorum historia, quantum chronologia, quantum geographia ex veterum monumentorum contemplatione juventur, quantum artes tum liberales, tum etiam vulgares, et mechanicæ incrementi, utilitatisque accipiant, cum ad extremum perorando majorum exempla proposuisset, recentium beneficia commemorasset, cunctorum animos ad hæc studia incendisset, personuisse omnia plausibus, visumque propemodum suis ipsum sedibus exsultasse Institutum, sibique, et civibus universis, et exteris omnibus de nova in sinum suum recepta disciplina esse gratulatum. Atque id quidem faustissimis, ut videmus, auspiciis, ominibusque perfectum est. Cum enim his temporibus Bononiense Institutum, Archigymnasii forma accepta, ad novum gloriæ genus evectum sit, optime constituta antiquitatum explicandarum ratio præclarissimo consilio confirmata est; in qua sane confirmandà quo major eluxit NAPOLEONIS MAGNI sapientia, qui rem perutilem, maximeque commendandam decreto suo constabiliverit, eo major Biancano laus accessit, quo auctore invecta res sit, quæ a tanto Principe confirmari mereretur; quæ profecto nisi constituta antea fuisset, ortus illa quidem longe clarissimos habuisset eo auspice, sed neque tam multi, qui proxime nos ætate præcesserunt, pulcherrimam ediscendi occasionem nacti essent, neque ipse tantum hoc honoris, quantum non dicam sperare, sed ne desiderare quidem ausus fueram, accepissem. Quæ fusius non persequor, ne de me ipse loqui videar. Itaque ad Biancanum revertor; cujus orationem qui legerit,

vel ex hac una intelliget, quantus vir ille fuerit, quamque et multa, et magna eidem debeamus. Quare adolescentes nostros nunquam hortari desinam, eam orationem (quandoquidem in lucem emissa est) diligenter ut legant; qua nihil meo judicio doctius, elegantius nihil, nihil ad rem accommodatius esse potest. Quam quidem nunquam in manus sumo, sumo autem et sæpe, et perlibenter, quin gratissima animum meum subeat incredibilis illius in me humanitatis recordatio. Namque adolescentulus, ut tum eram annorum vix sedecim, cum vererer ad tantum virum accedere, sic sum ab optimo sene exceptus, ut mihi, omnia certe quidem animo cogitanti præter studia antiquitatis, de antiquitatibus sermonem injecerit, suisque ipse manibus orationem illam dono dederit, et fere dixerim commendaverit. Quis futurum unquam putasset, ut ejus vestigia, longissimo quamvis intervallo, persequi deberem, orationemque illam quasi ex ejus manibus in manus istas vestras, Adolescentes optimi, traderem, vobisque commendarem? Hanc tamen dum commendo, non possum quin auctoris ejus integritatem eximiam, rarissimam innocentiam, summum candorem animi, pietatem in Deum, caritatem in patriam, in amicos fidem, in omnes comitatem recorder, vobisque præsertim, qui novum hunc honoris gradum promeruistis, singularem ejus virtutem, atque ad sanctissimam honestatem accommodatam totius vitæ rationem vehementer commendem. Haud quidem exiguam, ornatissimi Juvenes, hodierna die laudem estis assequuti: vestras ingenii vires, studia, labores

mirati omnes sumus, plausibusque doctrinam vestram excepimus, qua exculti, ornatique hinc discedentes, dignitatem amplissimam quasi thesaurum in patrias, familiasque vestras referetis. At reputate quovis thesauro potiorem habendam honestatem, eamque, uti ajebat Tullius (47), omni pondere graviorem, quam cætera omnia. Vbi enim est dignitas, inquiebat ille (48), nisi ubi honestas? Mementote, quod idem affirmabat Tullius (49), ab honesta morte sæpe vitam quoque turpem exornari; vitam turpissimam ne morti quidem honestæ locum relinquere. Biancanum imitamini, qui idem doctissimus fuit, idem honestissimus; cujus propterea memoriam nominis nostris infixam animis nulla unquam neque vetustas obruet, neque delebit oblivio.

---

(1) Sagg. di Ling. Etr. T. II. p. 258. (2) Levit. Cap. XXIII. v. 13. Num. Cap. XV. v. 5. Exod. Cap. XXIV. v. 6. et Cap. XXIX. v. 20. et alibi. (3) Exod. Cap. XXV. v. 29. (4) Lib. VIII. Cap. LXXI. (5) Cap. XXXV. (6) Lib. II. (7) Lib. XI. (8) Lib. VII. Cap. V. (9) De L. L. Lib. IV. (10) Ap. Athenæum Lib. V. (11) Lib. VI. Cap. XXXII. (12) Lib. XIII. Cap. III. (13) l. c. (14) Cap. XLV. (15) Thebaid. Lib. I. v. 539. (16) Lib. II. Cap. XXIII. (17) Lib. XXXV. Cap. XLVI. (18) Satyr. VI. (19) Apolog. (20) Lib. XXXIII, Cap. LIX. (21) Lib. XXII, Cap. XXXVI. (22) Æn. Lib. I. v. 728. (23) Panegyr. Antem. Aug. (24) Osserv. Letter. T. II. Art. IX. (25) Thes. Inscript. p. CCXLII. 4. et p. DIV. 15. (26) Etr. Reg. (27) Mus. Etr. (28) Iliad. Lib. XVI. v. 225. (29) Letter. Roncagl. IX. (30) Æcon. I. (31) l. c. (32) Lib. XII, Cap. X. (33) Pyth. Od. IV. (34) Æn. Lib. V. v. 774. (35) Argonaut. Lib. I. v. 660. et Lib. II. v. 611. (36) Lib. IV. Carm. V. v. 19. et Carm. VI. v. 1. (37) Carm. XXXIV. v. 13. (38) Satyr. II. v. 60. (39) In Æn. Lib. III. v. 136. (40) Æn. Lib. IV. v. 59. (41) Vid. Lil. Gyrald. Syntagm. II. (42) Lib. IV. Eleg. I. v. 128. (43) Antiq. Lect. Lib. III. (44) Odyss. Lib. XI. v. 24. (45) Æn. Lib. III. v. 67. (46) De Generib. Vasor. et Poculor. Cap. XIX. (47) Off. Lib. III. Cap. VIII. (48) Ad Attic. Lib. VII. Ep. XI. (49) Pro Quint. XV.

EPISTOLÆ

I

PHILIPPVS SCHIASSIVS
STELIO DORIÆ PROSSALENDIO S. D.

Quod nuper ad me scripsisti, Prossalendi mi suavissime, induxisse te in animum, ut quod opus de pateris Iacobus Tatius Biancanus inchoaverat, persequereris, absolveresque, lætor equidem vehementer tua in primis de causa, tum vero Biancani, atque, ut omnes lætandi caussas prodam, etiam mea. Nam primum nihil dubito, quin tu, cujus ingenium novi, studiumque excolendæ antiquitatis, atque in omni re solertiam, sedulitatemque jamdiu perspexi, magnam ex eo opere tibi sis laudem comparaturus: de qua sane (quæ nostra est amicitia, mutuaque benevolentia) delectari me oportet quam qui maxime. Illud quoque gaudere debeo, quod non mediocrem tuæ laudis partem in Biancanum derivari putem, a quo scilicet summum operis tui initium, consiliumque repetendum est; perjucundum autem mihi esse debet, quidquid ad Biancani laudem pertineat propter optimi illius viri præstantiam, virtutemque singularem. Quod quidem jucundius accidit ex ea, quæ mihi est cum ejus genero Cajetano Vignaferrio, necessitudine, cui si quid placere intelligam, placere et mihi idipsum debeat. Hic vero de Biancani laude quam sollicitus sit, facile tu quidem conjicere, testari ipse luculenter possum. Etenim

ille Biancani schedas, quæ sibi ex ejus morte obvenerant, mihi statim tradidit, meque rogavit, eæ quid essent cognoscerem, easque in ordinem redigerem, atque in vulgus etiam, siquidem opportunum factu judicavissem, emitterem. Ego vero quid præstiterim, eo sermone declaravi, quem edidi. Sed cum modo significaveris ex hoc ipso sermone factum esse, ut tibi de pateris conficiendi operis cupiditas incesserit, mihi gratulatus sum, quod partim de tua, partim de Biancani gloria haud parum mihi videar meruisse. Itaque ejus rei perficiendæ habebis me auctorem, atque hortatorem semper; immo vero etiam adjutorem, et socium. Constitui enim, quandoquidem Vignaferrius non id modo sinit, sed probat etiam, atque exoptat, eorum tibi copiam facere, quæ de pateris Biancanus in suis schedis adnotaverat. Complurium quidem paterarum exempla ex me præsens accepisti: nunc autem cum te absentem alloqui, tuâque consuetudine jucundissimâ frui non possim, litteras ad te mittam, et nonnulla scriptitabo, quæ etsi Biancani sunt, iis tamen uteris tamquam tuis. Nimirum et addes, et demes, et mutabis, ut libuerit, omniaque eo ordine, quem satius duxeris, collocabis; facies omnino, quod Biancanus ipse, si viveret, faceret. Neque enim dubitandum est, quin magnus ille vir, quemadmodum ad Vignaferrium scripsi, ut erat diligentissimus, amantissimusque veritatis, multa nunc non modo adjiceret, quæ tum parare non potuit, sed eorum etiam, quæ paravit, emendaret; præsertim cum his temporibus tanta lux Etruscorum monumentis, eorumque

linguæ ex Lanzio accesserit. Ac credo equidem Biancanum cum Lanzio, quum is Bononiæ diversaretur, sermonem de opere habuisse, quod ipse de pateris moliebatur; forte et Lanzius cum Biancano vicissim sermonem habuit de opere, quod ille susceperat de lingua Etruscorum. Certe nonnulla in Biancani schedis adnotata comperi, quæ Biancanum excerpsisse diceres ex iis, quæ Lanzius de pateris duabus, quas in Museo nostro asservamus, commentatus est, nisi constaret Lanzii opus Biancanum non vidisse, quippe qui aliquanto ante, quam illud prodiret in lucem, de vita decessit. Porro de his pateris, quas modo commemoravi, peropportune cadit ea primo nunc tecum communicare, quæ ille in schedas suas conjecerat. Quod eo cadit opportunius, quod cum Florentiæ nunc verseris, ex Lanzio cognosces, quomodo hæc se habeant; tum vero ex uberrimo illo fonte maximam haurire doctrinæ vim poteris ad eas pateras magis magisque illustrandas. Ordiar ex illa (*Tab. I.*), quam eo spectabiliorem putabis, quod non graphio cælata, sed anaglypho opere fabrefacta est. Non enim aut divisionem paterarum, quam sibi proposuerat Biancanus, aut aliam quamvis sequar, quæ mihi nunc quidem minus commoda accideret, sed modo ut res tulerit, modo etiam ut ad manus venerint pateræ, de iis scribam. Itaque eam, quæ secundum Cospianam, quam amisimus, quæque in Museo Parisiensi nunc asservatur, cæteris præstabilior nobis semper est habita, primum expediam; cujus γνησιότητα haud equidem in dubium revocaverim, cum non revocaverint neque Bianca-

nus, neque Lanzius. In ea heroas videas insculptos duos, alterum chlamydatum, palliatum alterum: quorum primus hasta, atque arcu armatus dextero pedi insistit, pone quem serpens cernitur in spiras convolutus, sinistrum pedem flectit retrorsum, eumdemque respicit; quem sinistra manu sustentat heros alter, dextra vero pedem ipsum fascia obvolvit; media est sedes, in qua vasculum, ac nescio quid aliud est positum flexuoso funiculo colligatum. Ad latus herois primi etruscum nomen inscriptum est exstantibus litteris, exesis tamen aliquibus; supra heroa alterum, cujus nihil jam in patera corrupta superest præter manus, inferioremque corporis partem, inscriptum item est nomen dimidiatum, truncumque. Pateram circum ornant delphini, quos exterius intercipit extremus limbus, interius vero sinuosa linea, quam quis, ut in Tarenti numis agnoscunt Numophili, undas maris imitari dixerit. Quid autem patera repræsentet, dubitavit Biancanus. Primum enim sibi visus est videre Philoctetem, quem in pede vulnere pæne immedicabili affectum Machaonis tandem opera sanatum tradunt (1); id quod ipsi præter totius corporis habitum et arcus, quem sinistra manu gerit heros primus, et serpens, qui ad ejus pedes circumvolvitur, maxime suadebant. Nam, ut Mythologi docent (2), dono accepit a moriente Hercule Philoctetes arcum, sagittasque hydræ felle tinctas, quarum quidem unius casu pes, quo terram percutiens Herculis sepulcrum Græcis contra jusjurandum indicaverat, vulneratus fertur a plerisque. At narrant alii (3) non sagittæ casu, sed

serpentis morsu sauciatum esse, irâ Iunonis, quod ausus fuisset Herculis pyram construere. Ovidius quidem (4) ait:

Quidve Philoctetes ictus ab angue gemat.

Quam sane mythologiam secutum pateræ cælatorem putaveris, qui non sagittas insculpsit, sed serpentem. Ac scite quidem hæc omnia, ut vides, mi Prossalendi. Atqui litteræ, quantumlibet maximam partem exesæ, visæ Biancano sunt Philoctetis nomen recusare. Ut ut enim prima, quæ clare conspicitur, littera accipi pro PH possit, tametsi et possit accipi pro TH, secunda certe E est, non I, prout judicio ejus in Etruscorum etiam lingua esse oportuisset, ut Philoctetis nomen enunciaretur. Nimirum ea sibi non innotuerant, quæ Lanzius (5) postea docuit. Iam reliquæ litteræ præter ultimam, E scilicet, etsi vel dimidiatæ, vel penitus corrosæ sunt, ut eas quivis, quocumque velit, diduxerit, Biancano tamen nonnisi per vim ad Philoctetis nomen trahi posse videbantur. Hæc, inquam, secum ipse primum reputaverat Biancanus. Tum vero iterum iterumque cum inscripta nomina investiganti, tum insculptas heroum imagines intuenti venit in mentem addubitare, num Telephum potius quam Philoctetem a Machaone sanatum patera hæc in conspectum daret. Sanationis certe aliquid (ajebat ille) innuit modus, quo heros alter alterius pedem fasciâ videtur obducere. Id etiam ipsum et vasculum supra sedem positum medicamento forte plenum, et serpens quoque innuat, quippe qui Æsculapio, atque Hygiæ dicatus est, ut inquit Macrobius (6): refert præterea

Plinius (7) ei animantium generi multa inesse remedia saluti et conservandæ, et acquirendæ. Ad hæc et delphini ad curationem quodammodo pertinent, quum eodem teste Plinio (8) eorum cinis, atque adeps frequentem habeant in medicina facienda usum, et pallium, quo heros induitur, medicum prope arguat; Æsculapii namque vestem referre possit. Itaque ad imagines quod pertinet, nihil impediebat, quominus de Telepho, et Machaone conjecturam caperet. Quod autem pertinet ad nomina, alterum quidem legebat MACHAN, ut Machaon deberet intelligi; alterum THELAPHE, ut intelligi posset Telephus. Telephus quidem certe, ut habet Hyginus (9) „ in pugna Chironis hasta per-„ cussus dicitur. Ex quo vulnere cum in dies tetro cru-„ ciatu angeretur, petit sortem ab Apolline, quod esset „ remedium: responsum est, ei neminem mederi posse, „ nisi eamdem hastam, qua vulneratus erat. Hoc Telephus „ ubi audivit, ad Regem Agamemnonem venit, et monitu „ Clytemnestræ Orestem infantem de cunabulis rapuit; mi-„ nitans se eum occisurum, nisi sibi Achivi mederentur. „ Achivis autem quod responsum erat sine Telephi ductu „ Trojam capi non posse, facile cum eo in gratiam redie-„ runt, et ab Achille petierunt, ut eum sanaret. Quibus „ Achilles respondit se artem medicam non nosse. Tunc „ Ulysses ait: Non te dicit Apollo, sed auctorem vulneris „ hastam nominat; quam cum rasissent, remediatus est. „ Hastam autem rasisse Podalirium, aut Machaonem proclive est credere. Æsculapii enim duo filii Podalirius, et Ma-

chaon, ut affirmat Celsus (10) „ bello Trojano ducem Aga-„ memnonem secuti non mediocrem operam commilitoni-„ bus suis attulerunt. Quos tamen Homerus non in pe-„ stilentia, neque in variis generibus morborum aliquid at-„ tulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro, et me-„ dicamento mederi solitos esse proposuit. „ Patera igitur, siquidem id argumenti prodat, Machaonem exhibet Telephi vulnus sanantem. Verum in re valde incerta nihil se affirmare professus est Biancanus, deque ea exspectare se ajebat judicium Archæophilorum (exspectabat, credo, præsertim judicium Lanzii, qui sane, ut nosti, eadem ferme protulit (11)): placere sibi interea ejusmodi pateram in convivales conjicere. Notum quippe sibi erat ex Varrone (12) in conviviis solitos fuisse veteres „ *medicamenti caussa* vinum „ novum, et vetus libare, et degustare. „ Atque hæc de patera prima. Pateram alteram (*Tab. II.*), quam convivalibus item annumeravit, eo libentius in lucem se proferre adnotavit Biancanus, quod turpiter diffracta, immo vero mutila cum esset, omnino pessum ivisset, nisi eam diligentia summa expoliendam, compingendamque curasset, atque adeo ejus diuturnitati, quoad fieri potuit, dignitatique consuluisset. Huic persimilem pateram affirmat Lanzius (13) in Museo Florentino asservari, quæ tamen nominibus caret; quam quidem, cum ejusmodi præsertim monumenta perlustraturus, mi Prossalendi, istuc adveneris, aut inspexisse jam, aut inspecturum te certo scio. Sed eidem ipsi haud valde absimilem quoque videas apud Dempsterum (14), in qua et no-

mina legas, quamquam longe alia, quam quæ in nostra sunt. Sunt autem in nostra hujusmodi: ELCHSNTRE. ELINEI. ACHMIEM. MENLE. Horum quidem nominum primum monstri instar profecto videatur. At fuisse apud Etruscos tam asperam nominum rationem quis sibi suaserit? Biancanus artificum inscitiæ, vel potius consuetudini id scriptionis genus tribuendum censuit. Valde enim sibi ea conjectura probabatur, quam a Passerio acceperat, veteres scriptores duplicem assignasse litteris potestatem; ut, in scribendo, littera unica id valeret, quod litteræ ipsius nomen. Sic, ut exemplo rem declararet, animadvertebat apud Latinos nomen litteræ B esse *be*; factum vero esse quandoque, ut antiquiores pro litteris duabus B et E signaverint unicam B, cujus nempe nomen utroque elemento constaret: ita etiam fortasse apud Etruscos nomen litteræ L fuisse *le*, ut scribentes nomen ELCHSNTRE litteræ L integram nominis potestatem tribuerint: itemque proclive esse credere id fecisse in littera S, cujus nomen fuerit *sà*, ut putaverit scriptor supervacaneum addere litteram A, cujus in ipso S potestas inesset, atque adeo legerit ELECHSANTRE. Quæ quidem, mi Prossalendi, multo enucleatius apud Lanzium explicata facile memineris (15), qui id quoque monuit, E quandoque in A commutari (16). Itaque eo nomine agnosci affirmavit Biancanus Alexandrum Paridem, cui perbelle respondet subjecta imago; hæc enim juvenem gladio instructum, pileoque phrygio ornatum repræsentat. Sequitur nomen ELINEI, quod Helenam indicat apertissime. Ipsa quidem paullo retro cernitur,

eaque sic manum porrigit, ut viros coram stantes alloqui videatur. Tertium nomen est ACHMIEM... Patera autem diffracta cum sit, littera fortasse aliqua excidit, ut scriptum fuisse putaveris ACHMIEMNE; legeris autem ACHAMIEMNE, quod sane nomen sonat Agamemnon. Etrusci enim caruere littera G, pro qua vel C, vel K, vel CH usurpaverunt; earum vero litterarum nomina fuerint *ca*, *ka*, *cha*, ut Passerii (immo vero Lanzii) fert conjectura. Respondet autem cum nomini Agamemnoni, tum historiæ insculptæ heros ille, qui infra id nomen conspicitur. Agamemnon enim, ut nemo ignorat, frater fuit Menelai, levirque Helenæ. Etsi vero Agamemnon Mycenis regnabat, Menelaus autem Spartæ, nihil tamen facilius, quam ut simul quandoque convenerint. MENLE autem certum est Menelai nomen. Littera enim N ex iis, quæ supra dicta sunt, duarum litterarum N, et E vim habet. Porro quis Paridem hîc non agnoscat, qui Menelai domum venerit præsidio Veneris, ut, quod ea jampridem ipsi pro judicio pulcritudinis pollicita fuerat, pulcherrimâ mulierum potiretur? Atque ista quidem Biancanus. Neque vero quidquam addam præterea; quod neque tu pluribus indigeas, neque, si indigeres, ausim ipse quidquam nunc tibi sufficere in ea civitate commoranti, in qua sapientissimum antiquitatum etruscarum oraculum datum est consulere; Lanzium inquam, quo sane invenies neminem, qui percontanti tibi satisfacere copiosius aut pro doctrina possit, aut pro humanitate velit. Cui quidem si ista proposueris, pergratum feceris; gratius, si quod ejus fuerit de

his judicium, mihi aperueris. Tu vero, quamdiu istic sis permansurus, aut quo concessurus, me velim certiorem facias, ut quo litteras mittere debeam, scire valeam. Cura diligenter valetudinem tuam, meque, uti facis, ama.

Bononiæ Prid. Id. Septembr. A. MDCCCVIIII.

II

PHILIPPVS SCHIASSIVS
STELIO DORIÆ PROSSALENDIO S. D.

Ægre tuli, mi Prossalendi, quod Florentia discedendum tibi ante fuerit, quam cum Lanzio litteras meas communicare potueris. Cognoscere enim peroptabam, quid de consilio, quod cepisti pateras universas illustrandi, quidque de iis, quæ tibi de pateris duabus Musei nostri scripsi, vir ille summus, atque hujus monumentorum generis æstimator præstantissimus, sentiret. Quamquam enim non dubito, quin ille et ad id opus perficiendum etiam atque etiam te fuisset hortaturus, et quæ ex Biancani schedis excerpta ad te misi (quippe et sua magnam partem sunt) probaturus, tamen peropportune accidisset, si et tibi hæc molienti tanti viri auctoritas accessisset, et me ipsum ad alias litteras tibi scribendas excitavisset. At vero etsi id mihi ex sententia minus cessit, faciam nihilominus, quasi cessisset. Tu enim ad scribendum non excitas modo, sed etiam compellis, ut Lanzii hortationes, auctoritatemque desiderari non sinas. Igitur

quidquid de pateris Biancani schedas pervolvens comperi, tibi aperire pergam. Quando autem superiori epistola de pateris duabus Musei nostri scripsi, reliquas Musei ejusdem expediam his litteris. Referam vero primum de pateris tribus (*Tab. III. IIII. V.*), quæ similes prope sunt inter se. Quibus quidem similes videas duas in Museo Etrusco, tertiam quoque exstitisse in Museo Trombelliano adnotavit Biancanus. Cælata porro in his pateris ignotæ Deæ effigies est, symbolum quidem præferens nullum, at galericulo cooperta, cætera omnino nuda; alas habet præter modum amplas, atque in terram usque promissas. Deam autem appellavit Biancanus propter alas, quas esse Numinum proprias nemo nescit. Quid vero putes ea imagine repræsentari? Dubitat Gorius Musei Etrusci Tomo secundo (17) Clothus ne, an Libitina, sive ea Venus Infera, sive Proserpina, sive Hecate sit, exprimatur, tametsi Tomo tertio Musei ejusdem (18) seu Parcam, seu Geniam sibi ipse videatur agnoscere. Dempsterus (19) apud veteres ait fuisse pateras cum Mortis imagine, quibus ante somnum biberent, ut discessuri convivæ hominum fragilitatis admonerentur. Ex Orpheo sane constat (20) sacrificatum etiam Morti fuisse; quin ex Plutarcho (21) Lacedæmonas templa Morti dedicasse. Virgilius quoque (22), ubi Trojanorum funus, qui in bello ceciderant, describit, Morti sacra fuisse facta testatur:

Multa boum circa mactantur corpora Morti.

Qua de caussa Bonada etiam (23) Mortis imaginem in pluribus pateris cælatam affirmavit. Attamen Biancanus earum

nullam, quas memoravi, Dearum repræsentari hîc censuit; ac Parcam quidem rejecit: cum enim Parcæ sint tres, nunquam alteram ait occurrere sine duabus reliquis; id quod Gratiis item animadvertit. Libitinam quoque respuit, quod jus imaginem vidit adhuc nemo; erat enim Libitina ex iis Numinibus, quæ non secus ac Fata, nulla imagine colebantur. Venus autem Infera, sive Proserpina, sive Hecate multiformi quidem adspectu repræsentabatur; symbolis tamen suis ita distinguebatur, ut eam quivis dignosceret; quare et hanc amandavit. Denique Mortis imago nullo adhuc monumento veteri insculpta apparuit; igitur nihil est (ait ille) cur eam insculptam putemus in pateris. Quid itaque in his repræsentetur, excogitanti Biancano Dea Nox succurrit, quam quidem veteres coluerunt, uti ex Orpheo (24), Euripide (25), Virgilio (26), Horatio (27), Ovidio (28) luculenter apparet. Neque vero id mirum, quippe quia Mercurio etiam Noctis præsidi veteres, antequam cubitum irent, sacrificabant, ut Homerus habet (29). Quapropter et Nocti sacrificasse dicendi sunt, utpote vel somni matri, ut Hesiodus (30), atque Hyginus (31) docent, vel nutrici, ut eam appellat Pausanias (32). Quin Statius (33) Adrastum inducit Nocti pollicentem sacra ipsi nunquam defutura:

Semper honoratam dimensis orbibus anni
Te domus ista colet, nigri tibi, diva, litabunt
Electa cervice greges, lustraliaque exta
Lacte novo perfusus edet vulcanius ignis.

Cum vero Nox cælum, terramque universam tenebris offun-

dat, quid huic Deæ magis, quam ingentes, amplissimasque alas convenire censeas? Hinc cecinit Virgilius (34):

Nox ruit, et fusis tellurem amplectitur alis.

Quare etsi nulla alia monumenta Deam Noctem forte exhibeant, facit tamen alarum magnitudo, earumque convenientia cum Noctis idea, quam et quisque sibi facile effingit, et Virgilii versus referunt, ut monumenta alia non magnopere desideres. Atque hæc quidem Biancano verisimilior visa ejus imaginis significatio est; quam tamen sic proposuit, non ut rem cuiquam persuaderet, sed ut ea quisque uteretur, si vellet. Quamcumque vero teneas ex iis, quas dixi, opinionibus, facile intelliges Biancanum ejusmodi pateras inter funebres rejecisse. Quas inter rejecit item pateram aliam *(Tab. VI.)*, cujus imagines magnam partem ærugine exesæ cum fuerint, nonnisi multo studio, et labore dignosci potuerunt. Quæ ut primum se prodiderunt, ferale quid Biancano exhibuerunt. Nam et tragicum Orestis facinus, et totius Græciæ ingentes calamitates, quæ trojanum bellum secutæ sunt, in mentem revocaverunt. Assurgit veluti e regali solio heros galeatus, munitusque insigni lorica, uti virum principem decet. Eidem occurrit heros alter galea, et lancea armatus, unoque amictus palliolo supra pectus alligato, atque in tergum rejecto; urnam autem sinistra manu indicat, ut de ea sermonem habere videatur. Quid vero dubites, quin et Ægisthum regem agnoscas Mycenarum regno nefarie potitum, et Pyladem simulantem se Orestis ossa in urna detulisse? Vniversam refert historiam

Hyginus (35): „ Orestes Agamemnonis, et Clytemnestræ filius, postquam in puberem ætatem venit, studebat patris sui mortem exsequi. Itaque consilium capit cum Pylade, et Mycenas venit ad matrem Clytemnestram, dicitque se æolium hospitem esse, nunciatque Orestem esse mortuum, quem Ægisthus populo necandum demandaverat. Nec multo post Pylades Strophii filius ad Clytemnestram venit, urnamque secum affert, dicitque ossa Orestis condita esse. Quos Ægisthus lætabundus hospitio recepit. Qui occasione capta, Orestes cum Pylade, noctu Clytemnestram matrem, et Ægisthum interficiunt. „ Hæc Hyginus; in quam rem multa etiam Sophocles (36). Quare Ægisthus, dum utrâque manu hospitis genu amplectitur, videtur sane lætitiam de nunciata Orestis morte significare. Is certe gestus obsequii, amorisque indicium veteribus habebatur, ut inter cæteros testis est Plinius (37). Atque de hac patera haud plura. Sequuntur pateræ duæ (*Tab. VII. VIII.*), quæ duos repræsentant juvenes, stantes ambos, seque aspicientes, sagulo indutos, galeatosque, et clypeis innixos. Exstat media inter utrumque juvenem sive ara, sive mensa; superius stella. His valde similes; nisi quod stellâ carent, Gorius edidit duas Musei Etrusci Tomo secundo Tabula CLXXXVI; tertiam quoque protulerat Tabula CXXVI, in qua singuli juvenes singulis aris innituntur, tum et stella præfixa est, et cycnus adjectus tamquam commune symbolum, quo eorum origo satis aperte significatur. Quare hanc et ipse Gorius (38) ad Dioscuros

retulit; illas vero, haud tamen probante Biancano, ad Ludiones etruscos (39). Pro certo quidem habendum docet Biancanus, nihil in his pateris aliud exprimi, quam Dioscuros. Porro hæc Numina impense coluerunt Etrusci non tam propter Græcorum traditam doctrinam, quam propter exercitam navigationem iis præsertim temporibus, quibus Livio teste (40) „ quantum Italiæ est a Liguria ad Fretum Si„ culum, fama nominis sui impleverat. „ Hi siquidem rem navalem auxerunt novis præsidiis, ornamentisque . „ Ro„ strum enim, ut ait Plinius (41) addidit Pisæus Tyrrhenus, „ uti et anchoram „ seu, ut alii legunt „ Rostrum addidit „ Pisæus, Tyrrheni anchoram. „ Immo vero Telamonem portum, et urbem in commercii commodum, uti ex Diodoro Siculo (42) deducere licet, condiderunt. Quapropter nihil verisimilius, quam ut Dioscuros coluerint, non tam quod gentiles Deos haberent, quam quod nautis propitios arbitrarentur (43). Hic autem loci animadvertit Biancanus, in nummis, gemmisque capita Dioscurorum suam quæque stellam habere præfixam; in his vero pateris unam eamdemque utrique capiti esse communem. Nimirum paterarum artifices, ait Biancanus, vulgatiorem Mythologorum opinionem fortasse secuti sunt; nam, ut refert Hyginus (44), occiso Castore stellam unam Pollux a Iove impetravit. Fortasse etiam stella una cælata est ad Dioscurorum originem indicandam; hi namque, ut nonnulli apud Gyraldum (45) opinati sunt, a Iove in stellam mutato fuerunt geniti. Id vero ad extremum adnotavit Biancanus, Dioscuros, qui pileo laconico in

simulacris, et nummis ornati cernuntur, galeatos cerni in pateris: quod quidem mirum non videatur; scribit enim Apulejus (46) „ gestari a Dioscuris cassides stellarum apici- „ bus insignes. „ Ex patera, quæ sequitur *(Tab. VIIII.)* tantum superest, quantum satis est, ut in ea deprehendamus imagines duas, virilem alteram, alteram muliebrem, ambas omnino nudas, atque apud craterem stantes. Pone muliebrem imaginem scabellum cernitur, cui impositum est armariolum. Inquirenti Biancano quid in hac patera repræsentetur, conjectis forte oculis in Volumen tertium Lucernarum Musei Passerii imaguncula se se obtulit (47) ex antiquo vitro ejusdem Musei delineata, quæ nudam mulierem crateri insistentem exhibet. Conjecturam hinc duxit crateres ejusmodi fortasse ad id fuisse comparatos, ut in iis antiqui, præsertim vero mulieres, quæ a publicis balineis abstinerent, domi lavarentur. Dum hæc animo volveret, certior factus est a Passerio ipso, quicum, ut alias significavi, magna sibi intercedebat necessitudo, vidisse se pateræ hujus argumentum non in uno, aut altero, sed in pluribus Etruscorum vasis depictum, immo in patera apud Comites Gherardeschios. Nunc quo hæc lavatio spectet, inquires. Ad sacrificium certe, si Biancanum audire libuerit, referas, tum quod in patera sacrificiis faciendis comparata incisa est, tum quod ea fuit semper antiquorum consuetudo, et religio, ut nonnisi loti sacrificarent, quemadmodum in animadversionibus ad inscriptionem Putei sacri, qui in Museo nostro asservatur, Biancanus ipse ostendit. Is enim su-

scepérat cum omnes Musei nostri inscriptiones, tum hanc præsertim illustrare, de qua tam multa, et docta Paciaudus in vulgus protulit (47). At vero mulieres et ante nuptias, et post puerperium, ut Deos sibi propitios facerent, lavari oportebat (48): quod præter etrusca vasa non pauca, luculenter manifestat pictura illa celeberrima, quæ Nuptiarum Aldobrandinarum nomine circumfertur; in earum enim apparatu sunt multa pro balneo disposita. Ritum hunc innuit quoque Aristophanes in Lysistrata (49); Herodotus etiam Babyloniorum, atque Arabum consuetudinem memorat, qua conjuges illucescente die abluerentur (50). Hinc factum est, ut in mundo muliebri balneares crateres, quos lavationes nuncupabant, recenserentur, quemadmodum ex Vlpiano patet (51). Armariolum tandem, quod in patera cernitur, sæpissime in Etruscorum etiam picturis occurrit. In eo Dii reponebantur domus tutelares, adorabanturque, unde Lararium appellabatur. Hæc de imaginibus hujus pateræ, quam Biancanus inter nuptiales retulit. Retulit inter natalitias postremam ex iis, de quibus nunc ad te scribere decrevi (*Tab. X.*). Est autem longe pulcra, sic ut artificem prodat peritissimum. Manubrium quidem acutum, et simplex est, inserendum forte capulo pretiosiori. Limbum pateræ corona ornat ex populeis foliis diligenter dispositis, aream vero fabula, quam nusquam forte conspexeris. Inter adolescentes duos media sedet in solio matrona aspectu decora, et diademate redimita, quo coma colligitur, ornaturque: sinistram manum supra solii columellam deponit, dex-

teram vero dexteræ mamillæ exertæ admovet ferme ad lac exprimendum. Adolescentium alter leonino corio caput, et terga coopertus, cætera nudus, mulieris lac ore exsugit; alter nudus quidem, sed palliolatus, diadematusque, manum dexteram in mulieris sinistrum humerum adponit, attenteque intuetur; sinistrâ virgulæ innititur. Porro Biancanus fraudem hîc repræsentari putat, qua Iovem fabulantur, cum apprime sollicitus esset, uti Herculi filio immortalitatem compararet, curavisse, ut is clam Iunonis insciæ uberibus admoveretur; divino enim lacte nutritus, quamvis mortali ortus femina, immortalis extemplo erat evasurus (52). Igitur mulier, quæ diademata in regali solio sedet, ipsa est Iuno; adolescens, qui lac sugit, Hercules leonina pelle amictus. Ad quem quidem Herculem referri perbelle vides coronam populeam. Habetur enim populus Herculi sacra, ut est apud Virgilium (53), Ovidium (54), Phædrum (55), et Plinium (56). In quam rem peropportune Servius (57) populum Herculi consecratam ait, „ qui cum ad inferos descendens „ fatigaretur labore, dicitur de hac arbore coronâ factâ caput velasse: unde foliorum pars temporibus cohærens, et „ capiti, albuit sudore, pars vero exterior propter inferorum „ colorem nigra permansit. „ Ob eam caussam qui Herculi sacrificarent apud Aram Maximam, populea corona ornari solebant ante Romam conditam, ut Macrobius (58) tradit. Quæres fortasse, cur artifex Herculem adulta jam ætate induxerit id facientem, quod solis convenit infantibus. Cujus rei hanc potissimam fuisse putat Biancanus caussam, quod

Diis vix natis tribuerint sæpe veteres eum corporis habitum; qui adolescentem referret, quo infantiæ incommoda a Deorum natura abesse ostenderent. Homerus certe (59) Mercurium vix natum describit citharam pulsantem, et furantem boves Apollinis. At quis fuerit, qui Iunoni alia ex parte sic adstat, ut de fraude quasi gaudere videatur? Biancanus id quidem aliis conjectandum, vel potius divinandum reliquit: nisi quod suspicio ei suborta est de Mercurio, qui, ut patet ex Eratosthene (60), fraude quadam ex Iunonis uberibus dicitur lac suxisse. Quare utramque fabulam (ait Biancanus) etsi disjunctam tempore, tamen ob rei similitudinem conjunxerit artifex, et forte induxerit Mercurium illud animadvertentem in Hercule, quod sibi olim contigerat. Hæc hactenus ex Biancani schedis, et prope ad verbum omnia. Reliqua persequar quamprimum. Ac spero equidem missurum me Romam eas etiam, quas mox scribam, litteras; siquidem aliquantisper istic te commoraturum significas. Quod quidem facis præclare. Quæ enim urbs est alia in universo terrarum orbe, quæ antiquitatis cultoribus placere æque, ac Roma, possit? Tu tamen velim inter pulcherrimas, rarissimasque omnis generis antiquitatis reliquias, arcus, aquæductus, obeliscos, amphitheatrum, columnas, statuas, cæteraque artis miracula, Musei Kirkeriani pateras iterum, iterumque, omnique cura, et diligentia inspicias. De his enim forte ad te scribam in posterum. Marinium cum videbis, illud ingenii, doctrinæ, virtutisque lumen, meo nomine plurimum velim salvere jubeas. Tu item, mi Prossalendi, etiam

atque etiam valebis, meque, uti hactenus fecisti, amare perges. Quo quidem mihi gratius facere nihil poteris.

Bononiæ N. Octobr. A. MDCCCVIIII.

III

PHILIPPVS SCHIASSIVS

STELIO DORIÆ PROSSALENDIO S. D.

Expedivi, Prossalendi mi suavissime, superioribus litteris eas pateras, quæ in Museo nostro asservantur. Nunc de iis ad te referam, quarum exempla nondum evulgata sibi ab amicis comparaverat Biancanus. Duas autem in primis cernes (*Tab. XI. XII.*), quibus magna est cum iis, quas ille ad Deam Noctem retulit, similitudo; nisi quod imago illa muliebris in his quidpiam manu gerit, cum in illis aut nihil gerat, aut non idem, certe informius; id porro quid sit, ne Biancanus quidem dignovit, explicavitque: immo plane neglexit; ut ab his imaginibus symbolum præferri nullum, uti alias ad te scripsi (61), adnotaverit. Tu hac in re, si lubet, ingenium exercebis tuum. Biancanus quidem de his pateris nihil præterea animadvertit. Id unum addidit, pateram primam Bononiæ apud Ioannem Chrysostomum Trombellium, alteram Florentiæ apud Donatum Guadagnium fuisse. Quo loco scire te convenit, mi Prossalendi, me quoties mihi constiterit, unde pateræ istæ prodierint, quove concesserint, id te de singulis esse diligenter commoniturum. Quare si nihil

de quibusdam adnotatum in his litteris reperies, noli arbitrari id a me fuisse negligentia prætermissum. Fuit Perusiæ apud Vincentium Ansideium patera, quæ sequitur (*Tab. XIII.*). Eam persimilem duabus videbis, quæ in Museo nostro sunt (*Tab. VII. VIII.*), quasque Biancanus pateris nauticis adnumeravit. Stella tamen in hac deest, quæ in iis media utrique imagini superemìnet. Attamen Biancanus hìc quoque Dioscuros agnovit, ut et in Gorianis agnovisse dixi (62), atque adeo pateram nauticam judicavit. Occurrunt Dioscuri et in patera alia (*Tab. XIIII.*): inscripta enim nomina id luculenter produnt, quippe quod ad alteram imaginem CAS.... exesis postremis litteris, hoc est CASTOR, ad alteram PVLTVC, hoc est POLLVX, inspicias; inspicias quoque litteras FA, extremas nimirum exesi nominis MINERVAE, quod etrusce, ut nosti, MENRFA, seu MENERFA est, quodque subjectæ imagini apprime respondet; ex ejus enim galea, totiusque corporis ornatu Deam hanc facile agnoveris. Ex monili, et diademate radiato agnoveris forte in reliqua imagine Venerem, cujus nomen exesum totum est. Quod quidem nomen Veneris in patera legitur huic ferme simili, quam apud Dempsterum (63) videas. Minerva certe, et Venus mediæ stant ibi inter juvenes duos, quibuscum, altera cum altero, colloquuntur. Qui autem in patera nostra Pollux est, in Dempsteriana est Apollo: quod ex inscripto nomine APLVN apparet; qui Castor, Passerio est Mars; nomen enim LARAN, quod ibi legitur, ex Passerii sententia Martem indicat, qui Græcis Α'ρης est, addita, quemadmodum ille ait (64) per pro-

sthesim littera L; at ex sententia Lanzii, ut te non latet, indicat Laræ filium, quasi LARANE (65). Horum nominum discrimen in summa, quæ intercedit, omnium utriusque pateræ imaginum similitudine nonnihil primo admiratus est Biancanus. Tum vero ejus rei caussam perscrutatus, id ex eo factum putavit, quod artifices pateras ἀνεπιγραφικὰς pararent, quas venum darent, in iisque Deos insculperent nullo fere distinctos symbolo, quibus nomina deinceps pro eorum, qui emerent, voluntate adjicerent. Ejusmodi autem pateras (quandoquidem singulas in usum sacrificiorum comparatas Biancanus duxit) domesticis, et communioribus sacrificiis usuvenisse sibi ipse suasit. Iis enim Numinibus sacrificasse frequentius veteres putandos ajebat, quorum præsidio sperarent se votorum compotes exstituros. Quo fit, ut Minervam sæpe, Venerem, Apollinem, Dioscuros, Lares, in hujusmodi pateris cælatos videamus. Quæ cum animadvertisset Biancanus, non hanc modo pateram, sed quatuor etiam, quæ sequuntur (*Tab. XV. XVI. XVII. XVIII.*), declaravisse sibi visus est. Sunt enim singulis insculptæ imagines, quas facile ad Numina referas, quæ memoravi. Quare, ut scite Biancanus censuit, nihil est, quod in his illustrandis pateris ad fabulas confugias, quarum quippe nullam artifex, dum eas cælaret, in mente habuit. Quod idem sensisse Lanzium nosti (66), cum pateram illam Dempsterianam huic nostræ similem illustraret; tametsi contra fecit Passerius (67), qui suspicatus est ab artifice Deorum nescio quod concilium indicari voluisse, quo Apollo, Venusque Troja-

norum rebus faventes Palladem, et Martem iisdem conciliare sategerint, ne quod incœperant, perficerent. Alii quoque, in quibus Contuccius Kirkeriani Musei explanator, in historiis referendis, quæ nihil forte ad pateras pertineant, nimium adlaborarunt. Cæterum Biancani opinionem ex ea etiam patera confirmari putaveris, quæ proxime sequitur *(Tab. XVIIII.)*; exhibet enim hinc atque hinc Dioscurorum imagines, quos et pilei phrygii, et stellæ potissimum utriusque capiti præfixæ manifestant. Inter utrosque etiam exhibet armatos adolescentes duos, pone quos sive templum, sive ædificium quodvis aliud insigne cernitur, quosque facile dixeris Lares publicos; hos enim cum urbium custodes venerarentur antiqui, eos armare in hunc modum adversus hostes consueverunt. Propertius (68) Laribus acceptum refert, quod Hannibal fuerit e Latio depulsus:

Hannibalemque Lares Romana sede fugantes.

Horum vero alter cum dexterâ cælum, alter sinistrâ tellurem indigitet, forte agnosces et Larem cælestem, et Larem familiarem, ut eos monente Gyraldio (69) appellaverunt antiqui. Laribus apprime convenit corona, quæ pateram ambit, ex foliis roris marini, plantæ videlicet Laribus sacræ, qua illi proinde Horatio teste (70) coronabantur:

Parvos coronantem marino
Rore Deos.

Monet forma pileorum, quibus virorum in sequenti patera *(Tab. XX.)* insculptorum capita conteguntur, repræsentari hîc fabulam, sive historiam pertinentem ad Phryges.

Medius stat ante fores sive templi, sive regiæ domus adolescens inter viros duos sedentes, quorum ora, gestusque jucunditatem fere cum admiratione conjunctam referre videantur. Quid ni, inquit Biancanus, adolescentem Paridem in hac patera exprimi putemus, qui e silvis, in quibus expositus, atque enutritus fuerat, regiam domum reversus obstupescentibus omnibus, ac lætantibus Regis filius est agnitus? Eum narrat Hyginus (71) proditum a Cassandra; Servius autem (72) se ipsum Paridem affirmat, idque allatis crepundiis, probavisse. Quare cum crepundia solerent esse ensiculi, securiculæ, maniculæ, bullæ, siculæ, qualia Plautus (73) enumerat, quid ille sinistrâ manu teneat, laterique suspensum gerat, cognoscitur: quo quidem conjecturæ suæ, cui fortasse liberius Biancanus indulsisse se verebatur, ponderis aliquid adjici posse confisus est. Atque has pateras omnes retulit Biancanus inter convivales. Retulit inter bacchicas, quæ sequuntur, pateras quatuor. In his enim aut Bacchus ipse, aut Bacchi asseclæ Satyri expressi sunt. Earum prima (*Tab. XXI.*) Bacchum exhibet castigatissime delineatum. Crines illi foliis hederaceis intertexti, cæteroqui compti, per terga fluitant, ut videre tibi videaris Bacchum sub ea imagine, qua illum Etrusci latrones conspexerunt: erat enim, uti Homerus habet (74):

νεηνίῃ ἀνδρὶ ἐοικώς

Πρωθήβῃ. καλαὶ δὲ περισσείοντο ἔθειραι

Κυάνεαι,

Iuveni viro similis
Nuper pubescenti, eique pulcri concutiebantur capilli
Cyanei.

Hi tamen in patera crispi adeo, cincinnatique sunt, ut quodammodo imitentur serpentes, quibus Baccharum comæ ornabantur, ut ait Horatius (75):

Nodo coerces viperino
Bistonidum sine fraude crines.

Corona, quæ pateram circum ornat, ex foliis quercus videri possit. Quapropter, cum ejusmodi plantam ex Theocrito Sodales Herculanenses caram Baccho memorent (76), intelliges, quare illam in patera Bacchum referente insculptam videas. Patera in agro tuderti ineunte sæculo proximo superiore effossa est. Delata primum in Museum Francisci Antonii Domiziani tudertis civis, ut refert Andreas Gioannellius (77); concessit deinde in Museum Diamantis Montemellinii patricii perusini, e cujus schedis αὐτογράφοις Passerius schema hujus pateræ cum Biancano communicavit. Relatum deinceps Biancano fuit, pateram hanc una cum universa rerum antiquarum Montemellinia supellectile in Museum Monachorum Cassinensium translatam esse. Bacchi asseclam Satyrum inter luxuriantes hederas in alia patera (*Tab. XXII.*) videas tripudiantem. Non unum, ut apud Lanzium legeris (78), mi Prossalendi, sed plurimos Bacchi choro Satyros accensent Mythologi, hircinis auribus, et cauda deformatos; quod Etruscorum monumenta omne genus, præsertim vero picturæ vasorum, patefaciunt. Satyrus cum

m

Mænade colludens in patera alia (*Tab. XXIII.*) repræsentatur, qui tamen præter Satyri caput nihil ferini præsefert. Sinistro brachio involutam nebridem, inconcinniter quidem expressam, veluti insigne ministerii sui, ostentat. Solebant enim, qui Bacchi Orgia celebrabant, uti ex Euripide, Phornuto, aliisque adnotat Bonarrotius (79), cervinas pelles gestare. Rudem ferulam, seu thyrsum, cui vitta sacra alligata est, et Satyrus, et Mænas gerunt (80). Mænadis capilli in tutulum colliguntur; qui capitis cultus in Etruscorum picturis clarius apparet. Cæterum Mænadum aliquæ capillis solutis cernuntur, Id autem discriminis diversis Initiorum gradibus, si Biancanum audias, tribueris. Peplo humeris imposito Mænas induta est; quod sacrum habebatur indumenti genus, idque in Etruscorum picturis Bacchi mysteria referentibus semper inspexeris. Pateræ similiter, quæ sequitur (*Tab. XXIIII.*) argumentum ad bacchanalia pertinet; duo namque Satyri insculpti in illa sunt. De corona hederacea, quæ pateram circuit, quamque ad bacchicas res facile referas, nihil attinet dicere, Quare corona item hederacea, quæ consequentem etiam pateram (*Tab. XXV.*) exornat, mulierem in ea cælatam ad Bacchi familiam pertinere suasit Biancano, idque sibi confirmare visum est reticulum, quo ejus caput ornatur; id enim, quemadmodum paullo ante dixi, feminis Bacchi sacrificulis fuit maxime familiare. Quod si pomum, quod gestat mulier, ficum dixeris, cum ficum Baccho sacram, tradant Mythologi (81), habebis, unde conjecturam robores. Verum enimvero com-

positus totius corporis, et vestis ad pedes usque promissæ modus videtur Bacchi comitem recusare, deque Larunda potius suspicionem injicere, quæ (indit Biancanus) μικρὸν κρέας, uti ajebant, vel pilam marinam, vel quidvis aliud Laribus offerri solitum, manu gerat. Quæ proxima est patera (*Tab. XXVI.*) Mercurium repræsentat veteri Etruscorum more duplici alarum ordine in tergo instructum. Græci, Romanique pinnulas superiores in petaso, inferiores in talaribus appinxerunt. At una, eademque omnibus fuit alarum significatio. Cum enim Mercurius supernus idem, infernusque Deus haberetur (82), quatuor alis munitum finxerunt, quibus e cælo ad tartara, hincque ad cælum revolaret. Idipsum in patera innuit dexterum genu erectum, manusque elata, genu autem sinistrum flexum, lævaque demissa. In magorum quoque incantamentis id fieri solebat. Quod inter cæteros Ovidius (83) a Medea factum commemorat:

in dura submisso poplite terra,
Nox, ait, arcanis fidissima, quæque diurnis
Aurea cum luna succeditis ignibus astra.

Erat hæc quasi quædam pulsatio, ut inferni aditus petenti patefieret. Quo facile intelligas pateram hanc a Biancano funebribus fuisse adscriptam. In ea vero maris undæ prætera expressæ sunt, quibus insistit Mercurius; idque apposite; Mercurius enim, ut Virgilius ait (84):

pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, seu æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

Eamdem Mercurii imaginem in Etruscorum vasis depictis, tum vero etiam alibi, licet intueri. Sed hæc hactenus. Neque enim plus otii nunc suppetit, ut adjiciam alia, neque si esset, velim adjicere. Malo enim plures ad te litteras haud longas dare, quam pauciores haud breves. Sic enim facere cum amicis soleo, quos quidem sæpius convenio, quam diutius. Quamquam mihi ad te scribenti litteræ vel longissimæ perbreves videntur esse, tibique idipsum videri debere arbitror cum propter tuam in me benevolentiam, tum propter harum, de quibus scribo, rerum cognoscendarum cupiditatem. Verum Kalendæ Novembres revocant me ad eas occupationes, quibus ita distineor, ut vix quidquam temporis reliquum mihi sit ad legendum pro voluntate aliquid, nedum ad scribendum. Tu tamen sic velim tibi persuadeas, cum primum potero, nemini me nisi tibi, neque alia de re, quam de pateris, scripturum esse. Vale. Bononiæ Prid. Kal. Novembr. A. MDCCCVIIII.

IIII

PHILIPPVS SCHIASSIVS
STELIO DORIÆ PROSSALENDIO S. D.

Quod sum pollicitus, ut cum primum possem, ad te de pateris scriberem, id præsto, mi Prossalendi, idque, ut facile credes, perlibenter. Quamquam enim libentissime semper ad te scribo, scribo nunc eo libentius, quod ex litteris, quas proxime a te accepi, intellexi et tibi fuisse ju-

cundas eas litteras, quas adhuc ad te dedi, et vehementer te alias exspectare. Itaque morem tibi geram, ac reliqua referre persequar, quæ de pateris nondum editis e Biancani schedis deprompsi. Deprompsi autem primum nonnulla de patera quadam (*Tab. XXVII.*), quam ille nuptialibus annumeravit; quæ quidem etsi diuturnitate temporis admodum exesa est, satis tamen, quod argumenti genus in ea fuerit insculptum, prodit. Sedet ibi peplo, ut conjici facile potest, deposito Luna, quam deleto quantumvis capite, symbolo tamen suo aperte dignoveris. Stat contra pastorali amiculo Endymion Deam alloquens. Ad ejus caput exsculptum iterum est Lunæ symbolum, quod locum, unde illa discesserat, significare videatur, quasi dixeris Lunam Endymionis amore captam cæli plagas, orbemque suum reliquisse. Plura, et certiora de hac patera animadvertere prohibet conditio ejus. Ex agro perusino apud Trasimenum prodiit patera altera (*Tab. XXVIII.*) non multos ante annos, quam Biancanus hæc adnotaret, puta anno quinquagesimo sæculi proximi superioris; hæc autem ante adnotavit, quam Caylusius eamdem ipsam, situ tamen inverso, in lucem ederet (85). Puerperam in lecto recumbentem, atque infantulum in sinu gestantem exhibet: ut minime sit ambigendum, quin hæc inter natalitias pateras ex Biancani sententia debeat recenseri. Alcmenæ partum, atque adeo Herculis nativitatem hic repræsentari facile quisque conjiciet. Mulier, quæ adstat puerperæ, non puerum excipit, non lavacrum, non lintea, non quidpiam

ejusmodi ministrat, sed officii nihil præstans cogitabundam se præbet, immo vero, ut Biancano videtur, tristem: quo non obstetricem aliquam, sed a Iunone corruptam partuum præsidem Lucinam hic expressam censueris. Noverat quippe Iuno, ut refert Homerus (86), Iovi ex Alcmena puerum nasciturum, cujus imperio finitimi, quod ipsa abnuebat, subigerentur. Ea igitur Alcmenæ partum retardaverat, quemadmodum eleganter describit Ovidius Alcmenam ipsam loquentem inducens, quæ cum septem diebus, septemque noctibus, ut ille narrat, partus dolores tolerasset, Lucinam invocaverat (87):

Illa quidem venit, sed præcorrupta, meumque
Quæ donare caput Iunoni vellet iniquæ.
Utque meos audit gemitus, subsedit in illa
Ante fores ara, dextroque a poplite lævum
Pressa genu digitis inter se pectine junctis
Sustinuit nixus; tacita quoque carmina voce
Dixit, et inceptos tenuerunt carmina partus:

Fraudem tamen elusit Galanthis puella, quæ diri aliquid suspicata, quod ignotam hanc fœminam pro foribus insistentem cerneret, maleficium dissolvit mentita dominam peperisse; quod ubi audivit, subirata Lucina exsurrexit, tumque Alcmena vere partum effudit. Hanc igitur fabulam, ut proclive est credere, cælator sibi exprimendam proposuit, atque adeo Lucinam repræsentavit adstantem thalamo, et puerperam tristi vultu contuentem. Sphinx ænigmatis nihil occulit (ait Biancanus) sed fulcri instar humilem men-

sam, in eaque cyathum, ante lectulum sustentat. Hujusmodi πάρεργα ad regendas mensas usurpabant veteres, quod monstra hæcce aptissimam haberent formam ad onus quodlibet humeris suscipiendum; id enim expansis alis firmius detinebant. Hinc frequentes occurrunt in monumentis antiquis et sphinges, et empusæ, aliaque hujusmodi abacos sustentantia. Utrarumque exemplar Pisauri exstat marmori insculptum in Atrio Oliveriano, cujus typum inter schedas Passerianas observavit Biancanus. Qui quidem hæc se animadvertisse ait, ne aut Ægyptum, aut græcas Thebas, ubi hæc sphinx nobis arcani aliquid proponeret, cogitaremus. Noverat enim non defuisse, qui id autumarint. Quamquam si quis diceret, pateræ artificem ad græcas Thebas innuendas, ubi Hercules editus est, sphingem apposuisse, meâ quidem sententiâ haud omnino absurde diceret. Citharœdum Apollinem, et Dianam venatricem in subsequenti patera (*Tab. XXVIIII.*) intuemur, sedentem illum, citharamque pulsantem, hanc autem stantem, veruque armatam, incomptam præterea, ac brevi indutam tunicula, uti deam decet silvarum, ac venationis studiosam. At mulierem nudam super pulvinar sedentem, cujus velum e capite per dorsum diffluit, quamnam Deam repræsentare putaveris? De Latona suspicio oborta Biancano est; quæ geminum fœtum enixa sit, præsertim cum ejus caput velo obtectum noverit repræsentari in numis Laodiceæ, et Tripolis Syriæ a Gussemio relatis (88). Id unum obstare ajebat, quod patera Apollinem, et Dianam non recens natos infantes, sed jam adul-

tos referat. At animadvertit hic iterum Biancanus, quod alias ad te scripsi (89), antiquorum hanc fuisse in divinis puerperiis repræsentandis prudentiam, ut Deos vix natos adultis similes sæpe exprimerent ad indicandum eos infantiæ incommoda non tulisse. Iovem unum, quippe qui ferino lacte enutritus est, coluit puerum antiquitas, ac nondum barbatum risit Iuvenalis. Verum longe aliud de filiis ille decrevit suis, quibus vix natis propinari ambrosiam voluit, qua statim adolescentes fierent. Legendus hac de re Homerus (90). Minime igitur mirari oportet, pateræ hujus artificem, siquidem Latonæ partum exprimere voluit, Apollinem fecisse pubescentem, ac citharœdum, Dianam jaculo instructam, atque ad venandum paratam. Ad Apollinem referri perbelle potest corona laurea pateram ambiens. Patera, quæ sequitur *(Tab. XXX.)* non Deorum aliquem, sed Bellerophontem refert transfigentem chimæram. Quamquam a Græcis quidem divino cultu est auctus Bellerophon, qui, uti ex Pausania constat (91), prope Corinthum et lucum habuit, et templum, Bellerophontis fabulam Homerus (92) est fuse persecutus; qui eum ait cum a Præto Argivorum rege hospitio acceptus esset, ab Antia illius uxore fuisse turpiter adamatum; quam cum ipse, veritus Iovis hospitalis iram, repulisset, repulsa mulier viro suo mentita est sibi ab hospite esse intentatam vim. Quare Bellerophon ab Antiæ viro ad Lyciæ regem missus cum epistola, qua ingratum hospitem interficiendum demandaret. Lyciæ vero rex Bellerophonti jussit, ut inexpugnabilem chimæram occideret,

monstrum scilicet caput, et pectus leonis habens, ventrem capræ, caudam draconis. At ipse Pegaso insidens, ut habet Hyginus (93), eam interemit. Fabulam ad historiam deducit Servius (94): „ Revera autem (Chimæra), ait ille, est „ mons Lyciæ, cujus hodieque ardet cacumen, juxta quod „ sunt leones; media autem pascua sunt (quæ capris „ abundant); ima vero montis serpentibus plena. Hunc „ Bellerophon habitabilem fecit, unde Chimæram dicitur oc- „ cidisse. „ Pateram hanc Biancanus, quod forte ludorum circensium quid memoret in Chimæræ occisione, retulit in circenses; malim equidem in funebres. In triumphales retulit, quæ sequitur (*Tab. XXXI.*); quæ quidem non ut reliquæ omnes, de quibus hactenus ad te scripsi, ænea est, sed fictilis; est vero mole omnium maxima, quippe quæ longitudine duos ferme palmos romanos æquet. Volaterris effossam fuisse adnotavit Biancanus, qui in triumphales eam retulisse ideo videtur, quod ejus manubrium Victoriæ icunculâ constet. Hæc ferme in Biancani schedis adnotata reperi de pateris, quas Etrusci præsertim, forte et Græci, Romanique, certe ethnici homines usurpavisse dicendi sunt. Sed quædam etiam reperi adnotata de patera, quæ hominibus christianis usuvenit. Puduisse fere se scripsit Biancanus, quod in profanis rebus illustrandis non parum, in christianis autem nihil studii contulisset. Occurrit vero homini peropportune christiana patera (*Tab. XXXII.*), in qua grande illud trium puerorum expressum est portentum, quo e babylonica fornace incolumes evasere. Id

argumenti genus excepisse sæpe christianos veteres animadvertit Biancanus, uti in monumentis quà pictis, quà sculptis apud Arringhium (95) videre licet; eo enim exemplo excitabantur christiani, ne in maximis etiam calamitatibus conciderent animo, sed in spem immortalitatis erigerentur, divinæque opi confiderent. Palma, quæ victoriæ symbolum est, exsculpta licet arte admodum rudi, idipsum clare significat. Credideris facile, pateram hanc in divinæ eucharistiæ usum fuisse factam, ut pro veterum christianorum consuetudine in ea panis, urceoli, linteola, ac si quid aliud ejusmodi ad altare deferri oporteret, imponeretur. Proclive etiam est suspicari, sanctissimæ ipsi eucharistiæ ministrandæ, conservandæque destinatam esse lancem ea ætate, qua „ aurei Sacerdotes, ut ajebat Bonifacius, episcopus idem, et martyr (96), ligneis calicibus utebantur, „ et „ corpus Do„ mini vimineo canistro condebatur, „ ut ad Rusticum scripsit Hieronymus (97). Vitrea quidem vasa, calices præsertim, diuturnum apud christianos usum habuerunt, quorum alterum integerrimum, atque aureis Magorum, et Virginis in Ægyptum fugientis imaginibus ornatum sæpe apud Ioannem Dominicum Cattaneum admiratus est Biancanus una cum Passerio, qui duos præterea hujusmodi urceolos conspexisse se ajebat in publico Urbaniæ Museo, Biancanoque etiam testabatur a Pisaurensium Antistite anno MDV vetitum fuisse vitreum calicem, quo Curio quidam per id tempus utebatur. Id constare affirmabat Passerius ex decreto eodem anno edito ab Antistite illo diœcesim suam obeunte; quod

decretum ipse perlegerat. Calices pictos, quos fictiles fuisse puta, memorat Tertullianus (98). Quia vero primis Ecclesiæ temporibus, cum christiani vexarentur, plerique domum eucharistiam deferebant, quam suis ipsi manibus, sacerdote absente, ut Casalius adnotavit (99), assumerent; propterea minime dubitaveris, quominus in ejusmodi etiam concavis pateris eucharistia servata fuerit. Neque vero sacrarum pyxidum usus admodum vetus est, sed pateræ patera undique incurva, crucigera, et linteamen sustinens imponebatur. Ejusmodi mos obtinet adhuc, quod tute nosti, apud Græcos, veterum institutorum retinentissimos. Effossæ certe sunt arulæ quædam fictiles, quarum summa pars cavitate scatet ad sacram, ut par est credere, eucharistiam continendam; præsertim cum iis lucernæ duæ adnexæ sint. Passerius etiam ex suo Museo imaginem alterius ex arulis ejusmodi ad Biancanum misit, alteram se Ferrariæ vidisse, Biancanum admonuit per litteras. Atque hæc quidem excerpere ex multis Biancani schedis potui de pateris nondum editis, quarum ille schemata sibi ab amicis, ut sæpe tibi significavi, comparavit, ærique incidenda per summam diligentiam curavit. Dabo autem operam quam primum iis, quæ ille adnotavit de pateris jam in lucem emissis; quæque usui tibi esse posse judicabo, ad te referam. Vale, mi Prossalendi, meque ama.

Bononiæ Idib. Decembrib. A. MDCCCVIIII.

V

PHILIPPVS SCHIASSIVS
STELIO DORIÆ PROSSALENDIO S. D.

Tu ne igitur jam nunc Corcyræ? Quam quidem cogitare te noveram, haud tamen putaveram te concessurum tam cito. Ego vero gaudeo vehementer, quod istuc incolumis perveneris; sed optassem equidem Romæ commorari te diutius potuisse, in ea scilicet urbe, in qua tam multa, tamque eximia adhuc exstant antiquitatis monumenta. Verum quamquam brevî tibi, atque ex improviso, uti scribis, illinc fuerit abeundum, non dubito, quin pateras Kirkerianas, quemadmodum te alias præmonui, diligenter inspexeris. Quod si feceris, opportune feceris; de iis enim ad te scribam his litteris. At si ad eam rem tibi tempus, vel occasio defuit, præ oculis certe nunc habeas necesse est earum paterarum imagines, quas Contuccius divulgavit, explicavitque; immo vero Contuccii explicationes ipsas perlegas oportet; namque in eas Biancanus animadvertit haud pauca, quæ tibi subjiciam statim. Pateræ Musei Kirkeriani, quas Contuccius in lucem edidit, numerantur triginta. Earum prima (*Tab. IX. n. I.*) Pollucis pugnam cum Amyco cæstibus commissam refert, seu potius, ut Contuccius ait, ejus pugnæ præludium, et apparatum. Biancanus cum adnotasset ejus historiæ narrationem non ex Theocrito solum, quem recitat Contuccius, verum ex Apollonio

Rhodio potissimum (100) repetendam esse, monuit pateram non tam Etruscis, quam Latinis usuvenisse, idque intelligi non tam ex loco, quo reperta est, ex agro nempe Prænestino, ubi templum Fortunæ, quam propterea Prænestinam vocavere, exstruxerunt Romani, quam ex nominibus in ea insculptis POLOCES, AMVCES, LOSNA, quæ vetustissimam latinorum nominum rationem redoleant. Nam vocalium commutationes, additionesque, et subductiones fieri ab antiquissimis Latinis consuevisse docuit, idque de nomine præsertim LOSNA, hoc est Luna, affirmavit; ut quæ Lanzius sæpius tradidit (101), eadem fere præjecisse Biancanus videatur. Monuit is præterea plane repudianda illa esse, quæ Contuccius adnotavit de *Lobna* civitate sacerdotali in Tribu Iuda (102). Namque nihil hebraicis cum etruscis, nedum cum latinis nominibus, commune ejus judicio fuit, tametsi et Maffejus, et doctissimi viri complures id autumaverunt. Animadvertit hæc Biancanus de patera prima Kirkeriana. De secunda (*Tab. ead. n. II.*), in qua Contuccius repræsentari Saltatores opinatus est, Dioscuros in ea verius repræsentari, uti et in duabus aliis Kirkerianis pateris, censuit (103), in quibus item Saltatores repræsentari Contuccius existimaverat. Quæ cum repudiasset de Saltatoribus in his pateris, probavit Biancanus, quæ Contuccius judicavit de argumento pateræ tertiæ (*Tab. X. n. I.*); id enim ad Dioscuros, ut vere referendum est, retulit. Sed enim quos Contuccius in patera quarta (*Tab. ead. n. II.*) suspicatus est Vlyssem, Palamedem, Diomedem, seu Cal-

chantem esse; eos Trojanos duos, mediumque græcum Sinonem putavit Biancanus:

Dant clara incendia lucem,

ait ille; quæ incendia in imo pateræ insculpta sunt. Insculptus vero sic est Sinon, uti Virgilius descripsit (104), utique multo ante Virgilium Triphiodorus Ægyptius (105), et Q. Smyrnæus (106) retulerunt. Virgilius quidem:

Ecce manus juvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ.

Porro Sinon sublatâ flammâ signum Græcis dedit, Trojæ muros jam patere. Quo factum, ut per flammas deinceps indicia bellica eminus inter conscios communicarentur. Re vera specularem significationem Trojano bello a Sinone inventam memorat Plinius (107). Hinc agnoscas neque temere, neque fortuito a cælatore flammas adjectas esse; quæ tamen et Trojæ incendium, cujus potissima caussa Sinon fuit, significare possint. At quid de serpente, qui ad latus pateræ tortuosus caput erigit? Fuerit ne alter ex iis, qui triste omen Trojanis dederunt, et Laocoontem, ejusque filios necaverunt? Tu videris, mi Prossalendi. Contuccius serpentem ad Vlyssem retulit quasi calliditatis ejus symbolum. At quid ille de flammis? Ne verbum quidem. Sed hæc satis: alia persequor. In patera quinta *(Tab. XI. n. I.)* Causeus Helenam a Paride raptam exprimi putarat; Contuccius Astyanactem ex Vlyssis metu ad Andromachen confugientem. Neutrum Biancano probatum est, qui et Hele-

nam haud raptam, sed volentem secutam Paridem, uti Coluthus Thebanus in primis docuit (108), et Astyanactem adhuc puerili, non adulta ætate, quemadmodum hic repræsentatur, ab Homero (109) descriptum animadvertit (talem quippe, qui vel patrem armatum expavesceret, uti aliquando pueruli nostri Orcum, et Sagas solent). Homini itaque venit in mentem suspicari, num hic forte exsculptus sit Peleus Thetidem rapiens; quod argumenti genus in patera Dempsteriana (110) propositum est, de qua Passerius in Paralipomenis haud pauca adnotavit; potiora quidem Lanzius (111), uti nosti, qui etrusca ejus pateræ nomina enucleatius pro more suo interpretatus est. In patera Kirkeriana sexta (*Tab. ead. n. II.*) Pan, et Syrinx Contuccio exhiberi videntur. Biancano autem, ne id sibi persuaderet, hoc prohibuit, quod Pana nunquam neque capillatum, neque tam insigniter caudatum inspexerit. Certe quidem Lanzius in sermonibus de vasis antiquis pictis, quæ vulgo etrusca nominantur (112), ejusmodi caudas Satyrorum proprias Pausania, Philostrato, Plutarcho testibus asseverat. Quare Lanzii doctrinam antevertens Biancanus Satyrum in ea patera agnovit Mænadi insidiantem. Omnino larvas ejusmodi ad Etruscorum Orgia pertinere monuit, in quibus tirunculi, quemadmodum ille ait, qui infimum ordinem in iis mysteriis obtinebant, veluti ex inculta, et ferina vita procedentes, ut humanam denique, divinamque assequerentur, hocce Satyriscorum cultu incedebant, omnigeno instrumento musico perstrepentes, inconditeque lyras pulsantes. At

quidquid illud argumenti est, ad bacchicam certe rem transferri debere monet et corona hederacea corymbis plena, qua pateræ limbus circumcingitur, et panthera, seu tigris, quæ superius in area expressa est; utraque enim ad Bacchum pertinet. Quid autem sibi velint binæ columbæ, quæ inferius expressæ sunt, divinare haud potuit Biancanus. At multo implexius pateræ septimæ (*Tab. XII. n. I.*) argumentum est, atque ænigmati plane simile. Quod ut evolveret Contuccius, OEdipum quasi alterum adduxit Platonem. „ Hic hominis vitam (verba sunt Contuccii) bigis comparans (113), aurigam quidem statuit Iovem, a quo, ejusque administris, Diis scilicet, et dæmonibus, animi principia, seu vires ad agendum incitantur: ex duobus autem equis alterum bonum ait esse, alterum malum, et ad terram vergentem; quibus verbis id, opinor, significat, foveri quidem hominem Numinis auxilio, et ad virtutem excitari: quod vero præditus idem ratione sit, qua sursum erigitur, nec sensibus careat, quibus ad terram deprimitur, ideo fieri, ut nonnisi gravate, et laboriose provehatur. Id pateræ artifex ut explicatius ostenderet, spectra equis currentibus utrinque adjunxit, quæ nisi animus (sic enim sessorem interpretor) strenue vicerit, nec fidem, prudentiam, et sapientiam vitæ duces, et comites habuerit, quas canis innuit, serpens, et noctua, frustra excurrerit, atque coronam speraverit, quam Genius prope volans ostentat. „ Hæc Contuccius, quibus subjecit etiam adnotationes ejus generis haud paucas, De-

scribo nunc, quæ in Biancani schedis inveni. „ Vides hic „ athletam desultorem, qui geminos equos regens in ipso „ fervore cursus de uno in alterum insiliebat. At casu „ quodam repentino equi terrore correpti resistunt, calcitrantque, nec ferulæ rectoris obediunt. Quid ni? In „ limbo pateræ post illius tergum exsurgit larva quædam fumum, vel ignem ex ore efflans, quo equi præter morem „ incitantur. In hanc conversus eques attonitus ferulam quatit. Augetur periculum; nam in equorum conspectu apparet ex improviso spectrum horrificum formæ penitus tartareæ, quo equi terrore magis magisque corripiuntur, cane etiam ululante. Bubo exitialis interitum prænuntiat, „ et serpens equorum pedibus insidiatur, ut pavorem multiplicet. Quid hoc rei est? Lusit ne tetricus artifex? Minime quidem, sed græcæ historiæ peritiam patefecit suam. „ Adi Pausaniam (114), ubi olympicum stadium describit. „ Παρεχομένου δὲ τοῦ ἱπποδρόμου παρήκουσαν ἐς πλέον τὴν ἑτέραν τῶν „ πλευρῶν, ἔστιν ἐπὶ τῆς μείζονος πλευρᾶς, οὔσης χώματος, κατὰ τὴν „ διέξοδον τὴν διὰ τοῦ χώματος, τὸ τῶν ἵππων δεῖμα ὁ Ταράξιππος. „ σχῆμα μὲν οὖν βωμοῦ περιφεροῦς ἐςί. παραθέοντας δὲ κατὰ τοῦτο „ τοὺς ἵππους, φόβος τὲ αὐτίκα ἰσχυρὸς ἀπ' οὐδεμιᾶς προφάσεως φανερᾶς, καὶ ἀπὸ τοῦ φόβου λαμβάνει ταραχή. τότε δὴ ἅρματα καταγνύουσιν ὡς ἐπίπαν, καὶ οἱ ἡνίοχοι τιτρώσκονται. καὶ τοῦδε ἡνίοχοι ἕνεκα „ θυσίας θύουσι, καὶ γενέσθαι σφίσιν ἵλεων εὔχονται τὸν Ταράξιππον. „ *Procedente vero stadio; et in alterum majus protenso latus, quod et amplius, et in aggeris formam exstructum „ est, ad transitum aggeris apparet equorum terror Tara-*

„ *xippus . Species quidem ejus ara est rotunda ; circa „ quam currentes equos vehemens occupat , nullâ caussâ „ manifeste apparente , timor , cui succedit conturbatio ; „ adeo magna , ut et currus frangant , et aurigæ ut plu- „ rimum feriantur . Hac de caussa victimas offerunt au- „ rigæ , et ut sibi propitium Taraxippum reddant , vota „ solent nuncupare .* Hucusque Pausanias ; ut fatearis Etru- „ scos artifices Græcorum facta etiam minus obvia in suis „ operibus expressisse . „ Hæ nimirum utriusque Archæologi declarationes , vel potius divinationes . Nam etsi facile crediderim , abs te Biancani magis , quam Contuccii interpretationem probari , agnosces tamen ænigma propemodum hîc esse ad explicandum propositum , ut adjectæ in imo pateræ sphinges , quemadmodum non inscite Contuccius animadvertit , rei obscuritatem indicare videantur . At patera octava (*Tab. ead. n. II.*) argumentum satis expeditum exhibet , si Biancanum audias ; idipsum enim sibi visus est intueri , quod non modo in pateris aliis tribus Kirkerianis , quas commemorabo , sed in iis etiam nondum editis , de quibus aliis litteris ad te scripsi (115) , repræsentatur . Nihil hîc itaque supra addidit . Patera nona (*Tab. XIII. n. I.*) procul dubio Iovem , Herculem , Iunonem exhibet , atque ita quidem , ut videatur Iupiter Iunoni Herculem conciliare . In quo nulla est Biancano a Contuccio dissensio . Duo tamen Biancanus animadvertit , alterum de Termino , alterum de Priapo (ut eos putavit Contuccius) hinc inde ad Iovis pedes exsculptis ; nam primum Biancanus haud

Terminum, sed Tellurem agnovit, eamque antiquiori specie expressam, atque eo quidem consilio a cælatore introductam, ut virtutum herculanarum fidem faceret; idque confirmare se ex eo posse arbitratus est, quod facinora heroum, quibus maxime immortalitatem, divinitatemque assequerentur, ostentari solerent a veteribus in morte, uti apud Ovidium (116) legimus Herculis labores enumerantem, quorum testis erat tellus; sic et in anaglyphis apotheosim Cæsarum exhibentibus vel Telluris, vel Romæ, quin et Solis, et Lunæ simulacra veluti in benefactorum testimonium inducuntur. Secundum autem haud Priapum esse censuit Biancanus, sed vel fruticem, vel quidpiam aliud, quod cælator non satis distincte in patera dignoverit, atque adeo non satis accurate retulerit. Quid? quod de hujus pateræ antiquitate addubitasse Lanzium novimus (117), tametsi non dubitaverit Winckelmannus, eâ tamen ætate elaboratam putaverit, qua Etrusci ad Latinorum rationem, moresque cum aliis in rebus, tum in bonis artibus accesserunt. Nomina certe Iovis, Iunonisque latina prope sunt. Sed ut de cælatoris fide in hac patera exsculpenda magis etiam dubitaret Biancanus, fecerunt imagines pateræ decimæ (*Tab, ead. n. II.*), in quibus exprimendis monitus est a Passerio vehementer peccavisse cælatorem; nam quæ a Contuccio judicatur Minerva, certus apparet Bacchus crepitacula manibus gestans; quæ autem Vulcanus videtur Contuccio, certissimus est Satyrus, cui nullum inest paludamentum; nebridem quidem sinistrâ manu sustinet, ingentemque cau-

dam præterea, ac bene crinitam agitat. Cæterum pateram hanc fideliter expressam in lucem edendam Biancanum certiorem fecit Passerius, eamque in Tabulam XIV. Tomi IV. Musei Etrusci conjiciendam; cujus Musei Tomi tres jamdiu prodierunt: at Tomus hic quartus, quod scis, editus nunquam est. Scilicet id accidit editurís vel Passerio, vel Gorio, quod compluribus præstantissimis viris de rebus multis, quodque Biancano in primis de pateris accidit, qui multa parare instituerant, cuncta perficere non potuerunt. Tu vero, mi Prossalendi, quod Biancanus de pateris non potuit, perficies. Me quidem spondeo (quod præstitisse hactenus mihi ipse sum visus) si quid in hanc rem tua interesse posse intellexero, tibi non defuturum. Itaque uti adhuc feci, pergam in posterum, tibique in pateras Kirkerianas quidquid adnotavit Biancanus, referam diligenter. Tu his uteris, ut videbitur. Etiam atque etiam vale, mihique, quo citius poteris, litteras mitte.

Bononiæ XVI. K. Martias A. MDCCCX.

Quando nonnihil otii mihi nunc est, litterasque nondum obsignavi, nonnulla addere constitui de his pateris Kirkerianis. Nihil enim est, mi Prossalendi, quod libentius faciam, quam ad te scribere his præsertim de rebus, de quibus ut scribam, abs me vehementer postulas. De pateris decem prioribus ea retuli, quæ Biancanus adnotaverat. Sequitur undecima patera (*Tab. XIV. n. I.*), in qua explananda non Contuccius modo, sed Gorius etiam se fe-

fellerunt: nam et Gorius eam divulgaverat (118), in eaque Fecialem nescio quem Genium Palladi florem offerentem inspexit, adductus forte eâ vocum affinitate, quæ est inter *Fecu*, et *Fecialem*; siquidem LASA FECV ad eam imaginem insculpta leguntur. At quid in his immorer? Sunt enim isthæc, aliaque in rem eamdem vel a Contuccio refutata. Is autem cum in ea patera videre sibi videatur Minervam non solo consistentem, sed insidentem aeri, a quo circumfunditur, eamque pro ipso aere a Mythologis sumi doceat, animadvertatque, ut alia mittam, ex vi aeris herbas, plantasque florescere, ac germinare, alatum illum adolescentem, qui florescentem plantulam Minervæ porrigit, ejus administrum esse censet, seu (quod mireris) „ ipsam vim aeris celerem, et „ expeditam, cujus ope flores proveniunt, et germina. „ Biancanus, ut facile tibi persuadebis, utramque explicationem rejecit; eamque unam est amplexus, quam Passerius protulit in Roncalliensibus epistolis (119), Victoriam nimirum Pallantis filiam hîcce expressam arbitratus, cui Minerva immortalitatem, locumque inter Deos impetravit; qua de re multa Vives tradidit (120), Neque ab ea opinione dissensit Lanzius (121), ut te non fugit, qui monuit præterea LASA idem, ac LARA esse, idque fere eo modo usurpatum ab Etruscis, quo a Romanis *Diva*; neque illud improbavit, quod placet principi illi philologorum Viscontio, LASA FECV verti posse *Lasa Vicu*, ut intelligatur *Lara Vici*, seu etiam *Vicum*, ut subjecit Lanzius, hoc est *Vicorum*. Sed nimis jam multa de his, de quibus consulere idem ipse Passe-

rium, Lanziumque potes. Itaque statim ad pateram decimam secundam venio (*Tab. ead. n. II.*), in qua Contuccius Saltatores, ut solitus est, Biancanus Dioscuros agnovit; qua de re meminisse te præstat, quæ et his litteris, et aliis (122) simili de re ad te scripsi. Sed et ea meminisse te velim, quæ scripsi paullo ante de patera octava; quod enim argumentum ex Biancani sententia in ea repræsentatur, idem repræsentatur in patera decima tertia (*Tab. XV. n. I.*). Itaque et de hac haud plura. Plus negotii facessit pateræ decimæ quartæ (*Tab. ead. n. II.*) explicatio; de qua ait Contuccius, Gorium, qui eam in Museum suum Etruscum (123) transtulit, nihil ausum esse affirmare, idque unum retulisse, Æacum a Ciatto (qui jamdudum in lucem eamdem ediderat (124)) agnitum in ea fuisse pro tribunali sedentem explicitis inferius ad caussas cognoscendas voluminibus; coram vero adstantem Mercurium, qui mortui ad eum animam in judicium adduceret. „ At quem Ciattus „ Æacum putat (subdit Contuccius) mulier manifesto est, „ ut ex capitis ornatu patet, ex inauribus, et ipso pec- „ tore; neque vero ea sedet pro tribunali, sed supra „ pedum calcem adgeniculata more fœmineo. Quis autem „ Mercurium agnoscat (pergit ille) quem sine petaso vi- „ det, sine caduceo, aut ullo alio insigni, quo Deorum „ ille nuntius ornari consueverat? Nam quod pertinet ad „ adolescentem, qui commentitium hunc Mercurium sub- „ sequitur, eum e mortuorum numero unum esse nemo „ dicet, cum alatus sit, sed potius Genium, qui præeunti

„ subserviat . „ Hæc scilicet Contuccius, ut Ciatti opinionem rejiceret. At vero longe aliter habent et Ciattus, et Gorius. Ciattus enim non Æacum, sed Hecaten proponit, neque de voluminibus verbum ullum facit, sed de pedibus serpentinis: Gorius autem fere eadem refert ex Ciatto, et suspiciones præterea quasdam ingerit suas; ut mirum, ac fere incredibile videatur, ea Contuccium protulisse. Id quidem verum est pateræ imaginem tum a Ciatto, tum a Gorio fuisse mendosissime proditam. Iam vero Contuccius, qui eam emendate exhibuit, conjecturam aliam de Ariadne ad æstuantis pelagi fluctus sedente in insula Naxo, atque a Theseo Atheniensium regis filio deserta proponit. Hanc Bacchus, ait ille, postea uxorem duxit, quem ad illam accedentem videmus. Quam vero coronam Genius manu attollit, eam esse suspicatur, quam Bacchus a Venere acceptam (125) Ariadne donavit tandem inter sidera referendam. Biancanus (ut a re postrema ordiar) nuptialem idem ipse agnovit coronam, quam alterâ manu Genius ad caput viri admovet, interea dum coronam aliam manu alterâ parat mulieri. Sed de muliere, deque viro, qui sint putandi, anceps hæsit. Bacchum intonsum semper et cecinerunt poetæ (126), et in monumentis insculpserunt artifices. Quare cum in patera vir hicce apprime tonsus appareat, Bacchus non fuerit; igitur ne mulier quidem fuerit Ariadne. De duobus naufragis e mari emersis hîc agi, iisque conjugio postmodum devinctis, conjecturam fecit Biancanus; Agamemnon vero, et Cassandra in mentem vene-

runt, quos ad saxa Capharea ex tempestate servatos appulisse tradidit Hyginus (127); conjugio autem fuisse devinctos conjicitur ex Pausania (128). Verum rem hanc Biancanus ut valde dubiam dimisit. De patera decima quinta (*Tab. XVI. n. I.*) eadem, quæ de octava, et decima tertia, adnotavit. Porro quæ imaginatus est Contuccius de Musis tribus inter se, Minervamque colloquentibus, quas sibi videre visus est in patera decima sexta (*Tab. ead. n. II.*), rejecit Biancanus, qui sibi visus est videre Minervam, Iunonem, Venerem de judicio pulcritudinis contendentes; quod judicium Paridi, qui pileo phrygio obtectus retro apparet, a Iove ablegatum est. Argumentum certe istud in patera decima septima (*Tab. XVII. n. I.*) repræsentatur, Contuccio, et Biancano consentientibus, nisi quod imaginem clavâ distinctam, atque huc fere dixerim intrusam, haud facile explicaveris. Pateram haud valde absimilem protulerunt Bellorius, et Causeus (129), qui de Hercule sive Hylam amasium suum quærente, sive cum Laomedonte Trojanorum rege paciscente conjectaverunt. In patera decima octava (*Tab. ead. n. II.*) Contuccius Saltatores, Biancanus Dioscuros pro more quisque suo agnovit, qui quidem Biancanus intermediam columellam significare posse censuit vel metam, qua decursionis terminus signabatur, vel domesticam aram, ubi, imposito lebete, thure, et vino sacrificabatur. Cum vero nondum erat crater impositus, instrumentum id conico mucrone ornari consueverat, quemadmodum non hic solum, sed sæpe etiam in picturis Etrusco-

rum conspicitur. Ne Cererem esse dubitemus, quæ in patera decima nona (*Tab. XVIII. n. I.*) expressa est, faciunt spicæ duæ hinc inde ad ejus pedes exsurgentes. Quare hac de re et Contuccio, et Biancano sententia eadem. Biancanus præterea Cererem et in Etruscorum picturis, uti in hac patera, alatam cerni animadvertit. At quorsum, dices, situla illa in manu Cereris? Id quidem gestaminis, inquit Biancanus, Isidi tantum adjectum vidi, quippe symbolum humiditatis, qua Ægyptum totam fœcundat, nutritque; Cereri vero, quod meminerim, nusquam. Cogitanti subiit de hydria pompatica solemni in Sacris Cereris. Ritus enim Eleusiniorum hic fuit, ut ultima die duo ex his vasis proferrentur, quorum unum ad orientem, alterum ad occidentem statuebant, evertebantque postmodum, diffuso quo plena erant liquore, mysticasque preces quasdam præfati. Qua de re plura congessit Meursius (130). Hæc adnotavit Biancanus de patera decima nona. De insequenti vero patera vigesima (*Tab. ead. n. II.*), in qua fabula eadem, quæ in patera Cospiana de Minervæ ortu ob oculos ponitur, Passerium consulendum monuit (131). Quæ in patera vigesima prima (*Tab. XIX. n. I.*) Gorio visa est Libitina, Nemesis Contuccio, a Biancano Dea Nox censetur iis de caussis, quas tibi alias (132) exposui. In patera vigesima secunda (*Tab. ead. n. II.*) ex Contuccii opinione Antiope, ejusque filii Amphion, et Zethus repræsentantur; nonne potius Nympha Tyro, ait Biancanus, a filiis Neleo, et Pelia post novercam occisam libertati restituta? Sane hoc

argumenti genus et in altera patera videre est apud Passerium (133). Agamemnonis cum Vlysse, et Diomede de Rhesi Thraciæ Regis adventu significari congressum opinatus est Contuccius patera vigesima tertia (*Tab. XX. n. I.*). At cum stellæ totidem hîc cœlatæ sint, quot imagines, binæ quidem Biancano significare visæ sunt Castorem, et Pollucem, tertia, quæ Martis stella haberi potest, Meleagrum; Meleager enim avum habuit Martem, quippe quia Althæa Meleagri mater Thestii filia fuit, Thestius autem ex Demonice filius Martis, ut Apollodorus tradidit (134). Aptissime autem cum Dioscuris Meleager conjungitur, quibuscum scilicet ad venationem Apri Calydonii venit. Vasculum porro sacrificiale ex arbore suspensum ad vota pro felici venationis exitu suscepta forte referendum. Ovidius quidem (135) hæc habet de Althæa:

Dona Deum templis nato victore ferebat,
Cum videt exstinctos fratres Althæa referri.

De patera vigesima quarta (*Tab. ead. n. II.*) ea memoriâ repetas velim, quæ epistola tertia de patera Tabulæ XIIII (pag. 65.) adnotavisse Biancanum scripsi. Idque ipsum agas oportet de patera vigesimâ quinta (*Tab. XXI. n. I.*). In patera vigesima sexta (*Tab. ead. n. II.*) quidquid Contuccius de TINIA disserat, ut persuadeat ab ea Iovem potius, quam Bacchum significari, Biancanus medium inter Apollinem, et Mercurium exprimi Bacchum, in Deos scilicet relatum, affirmavit. Eâ porro voce primum quidem Passerius (136), tum vero Lanzius (137), cæterique

Bacchum significari consensere. Nihil porro dubii esse potest, quin Mercurius, atque Hercules inter se colloquentes repræsententur in patera vigesima septima (*Tab. XXII. n. I.*). Qua vero de re colloquantur, cum Contuccius assequi se posse desperaverit, haud omnino animo cecidit Biancanus, sibique placuit divinare verius dixerim, quam conjicere, petere Herculem a Mercurio, ut quando post exantlatos labores immortalitatem, divinitatemque erat mox consecuturus, pro munere ipsi ab Iove demandato in cælum inferre se vellet; quod argumentum in vase Peraltiano apud Passerium (138) depictum est. Quid vero putemus Apollinem in patera vigesima octava (*Tab. ead. n. II.*) sermonis habere cum Vertumno Vulsiniensium Deo? Hunc enim in ea patera Deum repræsentari ex corona pomorum capiti imposita Biancanus judicavit. Contuccius, qui Marsyam in eo agnovit, facile audire illum sibi videbitur ad musicum certamen provocantem Apollinem. At unde Marsyam in eo agnovit? inquit Biancanus. Numne ex pedibus caprinis? numne ex tibiis? Sed hæc missa fecit Biancanus, in quibus vix quidquam, aut ne vix quidem sibi conjectando affirmare se posse confisus est. Itaque ad postremas pateras duas venit, de quarum prima; hoc est, vigesima nona (*Tab. XXIII. n. I.*) ea ferme adnotavit, quæ tibi alias, epistola nempe secunda de patera Tabulæ VIII Musei nostri quid simile repræsentante significavi; de secunda, hoc est trigesima (*Tab. ead. n. II.*), dubitavit, num vere patera, an potius amplioris lancis fulcrum, instru-

mentum illud fuerit, nisi malis speculum. Neque vero statim ægyptium opus in ea agnovit, ut agnovit Contuccius; nihil quidem ejusmodi in Tabula Isiaca, nihil in reliquis Ægyptiorum monumentis inspexit. Habes jam, mi Prossalendi, Biancani adnotationes in pateras Kirkerianas omnes, easque sic quidem summatim expositas, ut earum indicem potius quemdam confecisse, quam adnotationes exposuisse videar. At fusius ad te, talibusque de rebus scribere haud necesse judicavi. Addo schedulam, qua singulæ hæ pateræ suo quæque capiti ex Biancani partitione assignantur. Commodius enim censui hæc ad extremum, ac sub uno adspectu ponere, quam de unaquaque suis locis interserere. Iterum vale.

Patera I. *Circensis*. II. *Nautica*. III. *Nautica*. IIII. *Funebris*. V. *Nuptialis*. VI. *Bacchica*. VII. *Circensis*. VIII. *Convivalis*. VIIII. *Funebris*. X. *Bacchica*. XI. *Triumphalis*. XII. *Nautica*. XIII. *Convivalis*. XIIII. *Nuptialis*. XV. *Convivalis*. XVI. *Convivalis*. XVII. *Convivalis*. XVIII. *Nautica*. XVIIII. *Convivalis*. XX. *Natalitia*. XXI. *Funebris*. XXII. *Funebris*. XXIII. *Circensis*. XXIIII. *Convivalis*. XXV. *Convivalis*. XXVI. *Funebris*. XXVII. *Funebris*. XXVIII. *Convivalis*. XXVIIII. *Nuptialis*. XXX. ----.

V I

PHILIPPVS SCHIASSIVS
STELIO DORIÆ PROSSALENDIO S. D.

Etsi plurimæ supersunt pateræ, quas Biancanus illustrandas suscepit, haud pluribus tamen de iis ad te scribam, sed vix de plerisque, de nonnullis etiam ne vix quidem. Nam ut ab iis initium faciam, quas omnium primus in lucem emisit Dempsterus, vel potius Coke, nihil prorsus a Biancano de iis adnotatum est, quod copiosius a Passerio sive in Roncalliensibus epistolis, sive in Paralipomenis non fuerit explicatum. Scis enim quanta Passerio cum Biancano intercesserit non vivendi solum consuetudo, sed studiorum quoque conjunctio. Quare nihil est, cur in iis referendis immorer. Id unum de his præstabo, quod præstiti de Kirkerianis; schedulam scilicet conficiam, in qua de singulis pateris Dempsterianis cui quæque capiti a Biancano adscripta fuerit, monebo.

Tab. I. *Natalitia*. II. *Funebris*. III. *Convivalis*. IIII. *Convivalis*. V. *Funebris*. VI. *Funebris*. VII. *Funebris*. XXXVIII. *Funebris*. LXXXXI. *Nuptialis*.

Ex iis, quæ apud Passerium de his pateris legeris, facile intelliges, mi Prossalendi, cur eas sic diviserit Biancanus; at ex iis, quæ legeris apud Lanzium (eas enim et Lanzius, ut te non fugit, illustravit) haud ita facile intelliges de

omnibus. Ego vero minime dubito, quin, uti alias ad Vignaferrium scripsi, si Biancano Lanzii libri, qui ante ejus obitum nondum prodierant, innotuissent, cum is multa additurus fuisset, immo vero emendaturus, tum sententiam de sua paterarum divisione commutaturus. Hæc tamen reticere nolui, ne meam in referendo fidem requireres. Idque faciam quoque de pateris aliis, quas evulgaverunt et Gorius, et Causeus, et Montfauconius; hi namque potissimum Biancani ætate pateras evulgaverant. Ad hæc igitur capita Biancanus pateras retulit, quas Gorius in Museo Etrusco protulit.

Tom. I. Tab. XII. *Funebris. In ea putavit Gorius protomen Ancharice Deæ repræsentari; Biancanus Furiæ. Etruscam vero inscriptionem retulit ad pateræ sive artificem, sive dominum, eamque sic legit, ut interpretatus sit:* ANCHARII VVNESII ANCHARIATIS VESIAE FILII. *Hæc siquidem ex Passerio didicisse se professus est.* Tab. XIII. *Funebris. Protome eadem, quæ in præcedenti Tabula. Inscriptionem autem eodem Passerio docente explicavit Biancanus:* ANCHARII VESIAE FILII. Tab. LXXXI. *Nuptialis. Eadem inter Kirkerianas Tab. XV. n. II.* (139). Tab. LXXXII. *Funebris. Dea Nox* (140). Tab. LXXXV. *Funebris. Caput Gorgonis. Inscriptionem, licet litteris aliquibus fugientibus, legit ex Passerii ejusdem sententia:* LARTIS CAII TIRTINII. *De his et Lanzius, ut nosti, quædam attigit* (141). Tab. LXXXVI. *Triumphalis. Eadem inter Kirke-*

rianas Tab. XIV. n. I. (142). Tab. LXXXIX. *Funebris. Gorio duo Genii; Biancano autem idem forte argumentum exhibetur in hac patera, quod in patera Musei Bononiensis* (143), *si, quod suspicari licet, alam imaginis alterius de suo addiderit cælator, quæ forte in patera deest.* Tab. XCI. *Nuptialis. Quæ Gorio Nemeses, eæ Biancano sunt Geniæ duæ, seu Iunones, quarum imagines prope similes in urnis Etruscis cernas, in quibus Pronubarum officium præstant.* Tab. XCII. *Funebris. Media inter Iunonem, et Palladem Venus de pulcritudine decertat, etsi Gorius Venerem inter geminas Gratias hic delineatam agnoscat.* Tom. II. Tab. CXX. *Natalitia. Nativitas Minervæ. Eadem inter Dempsterianas Tab. I.* Tab. CXXI. *Convivalis. Eadem inter Kirkerianas Tab. XVI. n. II.* (144). Tab. CXXVI. N. I. *Funebris. Meleager ex venatione Apri Calydonii redux coram Atalanta (non autem Diana, ut visum est Gorio) OEneo patre (non Augure, aut Sacerdote, ut idem putavit Gorius), et Althæa matre.* N. II. *Nautica. Dioscuri* (145). Tab. CXXVII. *Nuptialis. Menelaus, atque Helena uxor ejus, duoque Helenæ fratres Castor, et Pollux, ad quos stellæ duæ pertinent eorum capitibus de more imminentes. Quæ Gorio visa sunt astra supra capita Menelai, Helenæque, geminæ rosæ sunt, nuptiarum utique accommodatissimum ornamentum.* Tab. CXXVIII. *Convivalis. Eadem inter Kirkerianas Tab. XVII. n. I.* (146). Tab. CXXVIIII. *Convivalis. Iudicium Paridis de pulcritudine Dearum.* Tab. CLXXXVI. N. III. *Convivalis. Pallas, et Larunda.* N. IV.

et V. *Nauticæ. Dioscuri* (147); *minime quidem Histriones, et Mimi Etruscæ Scenæ, ut Gorius autumavit. De his ad te alias* (148). T. III. P. I. Cl. III. Tab. XXX. *Funebris. Dea Nox* (149). Tab. XXXI. *Funebris. Caput Mercurii, ante quod delphinus.* P. II. Cl. IV. Tab. XIX. *Funebris. Pelias, et Neleus, eorumque media Tyro mater; pone aram Sidero Tyronis noverca; et parerga nonnulla. De hac patera et Lanzius* (150).

Has nimirum pateras Gorius in Museo Etrusco divulgavit. Sed et quinque divulgaverat inter Inscriptiones antiquas in Etruriæ Vrbibus exstantes (151); ex quibus tres tantum hîc commemorabo; nam reliquas duas paullò supra recensui (152). Sunt autem funebres. Ac prima quidem (*Tab. XVI. N. I.*) Medeam exhibet cum sorore ejus Chalcyope, (ut eam judicavit Biancanus) Æsonem soporatum sustentantem, cui ad reparandam juventutem magicum medicamentum propinaverat. Fabulam legas apud Ovidium (153). Caput Medeæ nimbo divinitatis symbolo decoratur, de quo consulendus Passerius (154). Pedes habet alis instructos ad magicam ejus virtutem significandam; nam junctis draconibus olim Athenas avolavit, ut narrat Apollodorus (155), iterumque inde Colchos remeavit, ut refert Hyginus (156), qui sæpe etiam meminit de Chalcyope. Imago senis alati, coronamque radiatam capite gestantis Tempus forte repræsentat, quod incantamentis suis Medea sibi subegerat. Patera secunda (*Tab. ead. n. III.*) Circes, et Vlyssis historiam complectitur. Se-

det Circe in solio adstante fœmina altera, quæ fortasse ejus soror Angitia est, de qua plura tradidit Biancanus in dissertatione de Diis Topicis. Vtraque Vlyssi suadet, ut magicum poculum sibi oblatum ebibat, quod ille videtur recusare, veritus ne (quod sociis male obvenerat) in belluam mutaretur. Socii in belluas mutati circum pateræ limbum expressi sunt, fere ut eos describit Virgilius (157):

Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recusantum, et sera sub nocte rudentum,
Setigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum;
Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum.

Quid pisciculi in imo pateræ insculpti, quidque monstrum illud insculptum in ejus manubrio significent, ignorare se adnotavit Biancanus, tametsi ad Circen satis apte referri non dubitaverit. In patera tertia (158) Genios duos, bonum et malum; vel potius Fortunas duas, bonam item et malam, repræsentari suspicatus est Gorius; Biancanus, qui imagines plane similes in aliis pateris ad Deam Noctem retulit, ad Deam eamdem et has retulit, ad Noctem quidem supernam, infernamque; utramque enim venerati sunt veteres, uti ex Hesiodo (159) colligere licet. Verum hæc trepidanter proponere se confessus est Biancanus. Atque haud plura de pateris, quas Gorius edidit. Pauca item de iis, quas edidit Causeus; eaque, uti de aliis feci, in schedulam conjiciam.

Sect. III. Tab. XVIII. *Bacchica. Quæ capita Causeus Nympharum, sive Oreadum judicavit, quo ad Dianam pateram retulit, eadem larvas scenicas judicavit Biancanus, atque adeo pateram retulit ad Bacchum.* Tab. XIX. *Convivalis. Mercurius alis ad terga instructus, uti ab Etruscis repræsentari consuevit.* Tab. XX. *Convivalis. Mercurius Paridem de judicio pulcritudinis ferendo alloquitur.* Tab. XXI. *Convivalis. Vide, quæ Epistola III. de pateris N. XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII. adnotata retuli a Biancano.* Tab. XXII. *Convivalis. Lares.* Tab. XXIII. *Natalitia. Nativitas Minervæ. Eadem inter Dempsterianas Tab. I. et Gorianas Tom. II. Tab. CXX.* Tab. XXV. *Funebris. Eadem inter Dempsterianas Tab. V.* Tab. XXVI. *Nuptialis. Peleus Thetidem rapiens. Eadem inter Kirkerianas Tab. XI. n. I.* (160). Tab. XXVII. *Funebris. Actæon a canibus discerptus.*

Venio ad pateras, quas Montfauconius emisit: quamquam de his nihil attinet dicere. Sunt enim earum pleræque ex Causeo deprompta, quas supra recensui, quædam ex Fabretto, quas Dempsterus, et Gorius ediderunt. Si quæ vero ex aliis fontibus desumptæ sunt, eæ sunt ejusmodi, ut aut nihil de iis adnotaverit Biancanus, aut si quid adnotavit, perierit. Forte enim schedæ ejus nonnullæ perierunt. Quo loco reticere tibi, quod mihi hæc ad te scribenti accidit, nec possum, nec debeo: quod nudius tertius nescio quomodo scheda ejus quædam ad manus vene-

rit, in qua erat adnotatum, Mercurium non modo et ipsum ex Iunonis uberibus, non secus atque Herculem, lac suxisse, sed etiam Herculem Iunonis uberibus Iovis fraude admovisse, idque tum ex Eratosthene (161), tum ex anaglyphis patere; ut Biancani conjectura de Mercurio, qui in patera XII Musei nostri pone Iunonem Herculi lac præbentem adstans repræsentetur, aptissime confirmari videatur. Erant quoque adjecta nonnulla in eamdem rem de virgula, quæ postea Caduceum evaserit, deque palliolo, quod Mercurio apprime congruat, deque ipsa facie, quæ Mercurium referat. Occurrerunt etiam schedæ aliæ, in quibus adnotare Biancanus quidpiam cum cœpisset, haud absolvit. Exspectare se nimirum ajebat, uti ex Vignaferrio intellexi, Lanzii opus de lingua Etruscorum, in quo de pateris non pauca vir ille summus Biancano significaverat se editurum; ediditque enimvero, ut probe nosti, et satis multa, et perdocta. Quare tu quidem, mi Prossalendi, (quod Biancano haud licuit) ex iis proficies quam plurimum. Valde etiam proficies ex iis, quæ Viscontius prodidit (162). Equidem nihil dubito, quin tu, quo es ingenio, quaque doctrina, et sollertia, opus sis confecturus, in quo et quidquid a cæteris est præclare dictum, excipies, et quidquid forte erratum, emendabis, et quidquid prætermissum, explebis. Cum autem Biancanus pateras potissimum Etruscas, easque æreas illustraverit, tu et in Romanis operam collocabis tuam. Namque et Romanæ pateræ tum in Museis asservantur, tum in Archæographorum libris describuntur.

Nosti filicatas pateras a Cicerone memorari in Paradoxis (163), cujusmodi prope videas apud Montfauconium (164). Sunt autem et pateræ fictiles, sunt argenteæ. Præclarissima est Pighiniana ex argento puro, pondo librarum decem, qua Hercules leonem suffocans exhibetur opere elegantissimo; sunt ex alia materia; quas tu omnes complecteris, id quod Biancanus ipse perficiendum sibi proposuerat. Tu itaque id præstabis, quod ille præstaret, si adhuc viveret. Id autem ut præstes, te non tam meo, quam Biancani, fere dixerim, nomine etiam atque etiam rogo. Sed quid opus rogatu est? Agam potius tibi gratias, quod id susceperis; nam quin sis perfecturus, non dubito. Cura diligenter valetudinem tuam, meque ama.

Bononiæ III. Id. April. A. MDCCCX.

(1) Propert. Lib. II. El. I. v. 59. (2) Serv. ad Æn. Lib. III. v. 402. (3) Cic. de Fat. XVI. Hygin. Fab. CII. (4) Trist. Lib. V. El. IV. v. 12. (5) Sagg. di Ling. Etr. Tom. I. pag. 248. (6) Saturnal. Lib. I. Cap. XX. (7) Lib. XXX. Cap. X. (8) Lib. XXXII. Cap. X. (9) Fab. CI. (10) In Præf. (11) Ibi Tom. II. pag. 222. (12) De L. L. Lib. V. (13) Ibi Tom. II. pag. 221. (14) Etr. Reg. Tom. I. Tab. IV. (15) Ibi Tom. I. pagg. 118. 237. (16) Ibi pag. 247. (17) pag. 186. (18) pag. 185. (19) Ad Rosin. Lib. V. Cap. XXX. ad calcem. (20) Hymn. in Noct. (21) In Cleomen. (22) Æn. Lib. XI. v. 197. (23) Carm. ex antiq. lapid. Tom. I. Dissert. III. pag. 234. (24) Hymn. in Noct. (25) Orest. v. 174. (26) Æn. Lib. VII. v. 138. (27) Lib. III. Od. XXVIII. v. 16. (28) Fast. Lib. I. v. 455. (29) Odyss. Lib. VII. v. 136. (30) Theogon. (31) Præf. (32) Eliac. I. (33) Thebaid. Lib. I. v. 505. (34) Æn. Lib. VIII. v. 369. (35) Fab. CXIX. (36) In Electr. (37) Lib. XI. Cap. CIII. (38) pag. 252. (39) pag. 391. (40) Lib. I. n. II. (41) Lib. VII. Cap. LVII. (42) Biblioth. Hist. Lib. IV. n. LVI. (43) Hor. Lib. I. Od. XII. v. 25. Catull. LXVII. v. 63. (44) Fab. LXXX. (45) Syntagm. V. pag. 162. (46) Metamorph. Lib. X. (47) Litt. initial. Ep. Nuncup. (47)* Puteus Sacer Agr. Bononiens. (48) Serv. ad Æn. Lib. III. v. 136. (49) v. 377. (50) Lib. I. n. 198. (51) L. 25. ff. de auro, argento. (52) Diod. Sic. Biblioth. Hist. Lib. IV. n. IX. (53) Ecl. VII. v. 61. (54) Heroid. Ep. IX. v. 64. (55) Lib. III. Fab. XVII. v. 4. (56) Lib. XII. Cap. I. (57) Ad Æn. Lib. VIII. v. 276. (58) Saturnal. Lib. III. Cap. XII. (59) Hymn. in Merc. v. 17. (60) Ap. Achill. Tat. ad Arati Phœn. de lact. circ. (61) pag. 31. (62) Epist. II. pag. 34. (63) Etr. Reg. Tom. I. Tab. IV. (64) Paralip. pag. 26. (65) Sagg. di Ling. Etr. Tom. II. pag. 202. (66) Ibi pag. 199. (67) I. c. (68) Lib. III. El. III. v. 11. (69) Syntagm. I. (70) Lib. III. Od. XXIII. v. 15. (71) Fab. XCI. (72) Ad Æn. Lib. V. v. 370. (73) Rud. Act. IV. Scen. IV. v. 110. (74) Hymn.

v. 3. (75) Lib. II. Od. XIX. v. 19. (76) Pitt. d'Ercol. Tom. II. pag. 176. n. 3. (77) Diar. Antiquit. Tudert. quod ms. in Pisaur. Biblioth. asserv. (78) Vas. ant. dipint. pag. 20. e segg. (79) Medagl. ant. pag. 438. (80) Buonarr. l. c. pag. 435. et Pitt. d' Ercol. Tom. II. pag. 177. (81) Pitt. d' Ercol. Tom. I. pag. 137. et Tom. II. pag. 118. (82) Claudian. de Rapt. Proserp. Lib. I. v. 90. (83) Met. Lib. VII. v. 191. (84) Æn. Lib. IV. v. 239. (85) Rec. d' Antiq. Tom. IV. Pl. xxxii. (86) Iliad. Lib. XIX. v. 103. (87) Met. Lib. IX. v. 295. (88) VI. 517. (89) Epist. II. pagg. 38. 39. (90) Hymn. de Apoll. v. 123. (91) In Corinth. (92) Iliad. Lib. VI. v. 155. (93) Fab. lvii. (94) Ad Æn. Lib. VI. v. 288. (95) Rom. Subterr. Tom. I. pag. 379. et Tom. II. pag. 499. (96) Concil. Tiburt. Cap. xviii. (97) Lib. II. Ep. xiii. ad calcem. (98) De Pudicit. Cap. vii. (99) De Vet. Sacr. Christianor. Ritib. Cap. xv. (100) Argonaut. Lib. II. sub init. (101) Sagg. di Ling. Etr. Tom. I. pagg. 122. 124. 161. 162. et Tom. II. pag. 234. (102) Lib. Ios. Cap. XXI. v. 13. (103) Epist. II. pag. 34. (104) Æn. Lib. II. v. 57. (105) Ilii Excid. v. 251. (106) Paralip. Lib. XII. v. 359. (107) Lib. VII. Cap. lviii. (108) De Rapt. Hel. v. 306. (109) Iliad. Lib. XXII. v. 484. (110) Tom. II. Tab. lxxxxi. (111) Sagg. di Ling. Etr. Tom. II. pag. 217. (112) Pagg. 92. 93. (113) In Phædr. (114) Eliacor. II. (115) Epist. III. pag. 42. (116) Met. Lib. IX. Fab. iv. (117) Sagg. di Ling. Etr. Tom. II. pag. 198. (118) Mus. Etr. Tom. II. Tab. lxxxvi. pag. 204. (119) Lett. VII. pag. 454. (120) In Not. ad S. August. de Civ. Dei Lib. XVIII. Cap. viii. (121) Sagg. di Ling. Etr. Tom. II. pagg. 203. 204. (122) Epist. II. pag. 34. (123) Tom. I. Tab. lxxxi. n. 2. pag. 183. (124) Perug. Etr. Lib. IV. pag. 121. (125) Hygin. Poet. Astron. Lib. II. (126) Tibull. Lib. I. El. IV. v. 37. (127) Fab. cxvi. (128) In Corinthiac. (129) Pict. Antiq. Crypt. Rom. et Sepulcr. Nason. Tab. X. pag. 201. (130) Thes. Antiq. Græcar. Tom. VII. Cap. xxx. (131) Paralip. pag. 18. (132) Epist. II. pag. 31. (133) Syntagm. Antiquor. Monumentor. Tab. xix. (134) Biblioth. sive de Deor. Orig. Lib. I. (135) Met. Lib. VIII. v. 445. (136) Paralip. pag. 25. (137) Sagg. di Ling. Etr. Tom. II. pag. 196. (138) Pict. Etr. Tom. III. Tab. cclxxvi. (139) Epist. V. pag. 66. (140) Epist. II. pag. 31.


(141) Sagg. di Ling. Etr. Tom. II. pag. 651. (142) Epist. V. pag. 64. (143) Tab. VI. Epist. II. pag. 33. (144) Epist. V. pag. 68. (145) Epist. II. pag. 34. (146) Epist. V. pag. 68. (147) Epist. II. pag. 34. (148) Ibi. (149) Epist. II. pag. 31. (150) Sagg. di Ling. Etr. Tom. II. pag. 212. (151) Tom. I. Tab. XVI. n. 1. 2. 3. et pag. 102. et 194. (152) Mus. Etr. Tom. I. Tab. XCII. et CXXVI. n. i. (153) Met. Lib. VII. v. 250. (154) Lucern. Fict. Tom. II. ad Lucern. XCV. (155) Lib. I. ad calcem. (156) Fab. XXVI. (157) Æn. Lib. VII. v. 15. (158) pag. 194. (159) Theog. (160) Epist. V. pag. 58. (161) Catasterismor. cap. ult. (162) Mus. Pio Clem. Tom. IV. Tab. A. 1. Tom. V. Tab. A. 1. Tom. VI. Tab. A. 3. 4. (163) I. 2. (164) Tom. II. Part. I. Tab. LVI. n. 8.

FINIS.



Tab. I.


Tab. II.





Tab. III.





Tab. IIII.


Tab. V.





Tab. VI.




Tab. VII.





Tab. VIII.





Tab. VIIII.



Tab. X.






Tab. XI.




Tab. XII.




Tab. XIII.





Tab. XIIII.




Tab. XV.





Tab. XVI.




Tab. XVII.




Tab. XVIII.


Tab. XVIIII.





Tab. XX.




Tab. XXI.




Tab. XXII.




Tab. XXIII.





Tab. XXIIII.




Tab.XXV.





Tab. XXVI.






Tab. XXVII.




Tab. XXVIII.





Tab. XXVIIII.


Tab. XXX.




Tab. XXXI.




Tab. XXXII.



